LIBERATI FASSONII

DE MORALI

PATRUM DOCTRINA

ADVERSUS LIBRUM

JO. BARBEYRACI

ET

AD DISPUTATIONES

DE ECCLESIASTICA HISTORIA

INTROITUS.

LIBURNI MDCCLXVII.

Ex Typographia Marci Coltellini

Superiorum Facultate.

FRANCISCO LUDOVICO COSTAE

DE COMITIBUS TRINITATIS HIEROSOLYMITANI ORDINIS BAJULIVO SARDINIAE PROREGI.

LIBERATUS FASSONIUS FELICITATEM.

EX omni genere rerum, quas nobis copiose natura de thesauris suis suppeditat, prima quaeque solere semper hominibus magnopere accepta esse, atque exoptatissima, sic, ut non vulgarem ex his rebus capiat, neque mediocrem cujusque animus voluptatem, &, ratione ipsa duce, facile omnes intelligunt, FRANCISCE LUDOVICE COSTA, Prorex Sardiniae Optime,

&, viri sanctissimi, eloquentissimique Theologi, Johannis Chrysostomi luculento sane testimonio comprobatum accepimus. Qui quum nobilem, & spectatissimam foeminam, in solitudine, & viduitate relictam, ab ineundis iterum nuptiis deterreret, tum alia consilii sui argumenta adhibuit, digna ingenio, digna litteris ejus, cujus ex ore melle dulcior fluere dicebatur Oratio

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώττης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή; (a)

tum illud etiam gravissime admonuit, moris esse apud homines, ut quaecumque tandem caussa nos moveat, eas res praecipue in amore habeamus, quibus, antequam in aliorum potestatem venerint, fruimur, quarumque nos primi, ac soli domini sumus (b). *Videlicet id in frugibus, in domo, in vasis, in veste, atque adeo in ipsa uxore, qua nihil alioquin esse homini dulcius solet, contingere. Quis nesciat, quanta afferantur laetitia viri litterarum studiis dediti, ubi forte aliquid novi exploraverint, atque omnium primi in publicam ipsi veritatis lucem protulerint? Sane quidem Fontainius, homo Gallus, Virgilii interpres eruditus, & nobilis, dici vix potest, quantopere sibi gratuletur, ac placeat, quum aliquos nobilissimi Poetae versus exponit, quorum vim, atque sententiam superiores interpretes non vidisse confidit.*

Ea

(*a*) Hom. Iliad. lib. 1.
(*b*) De non iterando conjug. n. 5. Tom. 1. Edit. Montf.

Ea de re ita fere triumphat, ita se amat, ut se amasse credibile est, praestantem Philosophum, Isaacum Newtonum, quum primum colorum originem, & naturam aperuit, quum motuum caussas investigavit, quibus errantes stellae torquentur, vel cum maximis tandem studiis deprehendit,

> .... qua caussa argentea Phoebe
> Passibus haud aequis eat, & cur subdita nulli
> Hactenus Astronomo numerorum fraena recuset. (a).

Quorsum haec? Videlicet, ut intelligas, Prorex summe, atque amplissime, quam mihi facile spondeam fore, ut Disputationem hanc meam, quam tibi libentissime offero, consecroque, praecipuo quodam amore, & studio complectaris. Habita est enim a me in magna lectissimorum virorum frequentia, quum primum Caralitana Academia constituta est, ac primos veluti fructus exponit, ex illius sinu, gremioque perceptos. Quamvis enim cum eruditissimis hominibus, collegis meis, qui Academiam hanc omni genere litteraturae nobilitant, neque doctrina, neque ingenio, neque auctoritate conferri possum; nihilominus, nisi expolita, at certe prima est haec disputatio, quae de gravioribus disciplinis in manus hominum emittatur.

Scio

(*a*) Hallejus de New.

Scio equidem, lege divina sapientissime cautum esse, ut rerum humanarum primitiae auctori rerum omnium, atque procreatori Deo per Sacerdotis manus caste offerantur (a). *Neque me latent Theocriti, Tribulli* (b), *Horatii* (c), *Plinii* (d), *Censorini* (e), *& similium testimonia, unde compertum est, eam disciplinam, & consuetudinem etiam apud Ægyptios, Graecos, Romanos, atque alios populos omni tempore viguisse. Ut enim reliquos taceam, memoriae sane Theocritus prodidit, Ptolomaeum Philadelphium, Ægypti Regem, praeter opulentissima munera, quibus saepe Deorum Ædes locupletabat, de omni semper bonorum, fortunarumque suarum copia prima, & pulcherrima quaeque eisdem Aedibus obtulisse, magis ut gratum se Diis probaret, quam quod eos his, ac talibus rebus egere existimaret* (f). *Sed quamvis divina illa lex alto prorsus, coelestique consilio lata fuerit, idque consuetudinis per profanas etiam nationes longe, lateque pervaserit, non vetor tamen eo, quod dixi pietatis, atque observantiae erga te meae officio fungi, Tibique & dignitate, & virtute viro longe omnium principi, atque excellentissimo hos qualescumque, sed primos tamen Caralitani Gymnasii veluti fructus offerre, hilarique animo consecrare. Alio*

enim

(*a*) Exod. cap. 22. ver. 29.
(*b*) Lib. 1. Eleg. 1.
(*c*) Lib. 2. Serm. 8.
(*d*) Lib. 18. H. N. cap. 2.
(*e*) De die Natali.
(*f*) Theocr. Idill. 142.

enim ea spectat lex, neque huc, si vim quidem verborum, & sententiam sequimur, trahi potest. Ego vero sive sacrum, & lectissimum ordinem, cui nomen dedisti, sive religionis studium, & patrocinium, quod proprium tibi, atque perpetuum esse debet, sive caeteras virtutes tuas intueor, ex omni parte caussas mihi suppetere locupletissimas video, cur hoc, quidquid est, operis in manus tuas quam celerrime perferatur.

Edoctus ego a Basilio magno, olim Caesariensium Antistite, turpe esse, Sacerdotes, tanquam pecudes mutas, tacere, ubi externi, atque hostes omnibus in Ecclesiam viribus impetum faciunt, pro virili parte mea Johannis Barbeyraci opus refellere institui, qui ad minuendam sanctissimorum Patrum in morum scientia auctoritatem, atque doctrinam aggressus, visus est male sanis hominibus, ut jam superiori aetate Dallaeus, praesidia ipsa religionis, & fundamenta concutere. Nam post sacras litteras Patres nobis, tamquam magistros, assignavit Deus, ex quibus sine erroris periculo dignosceremus, & quae nos credere oporteat, & quid in morum negotio nos sequi, atque approbare, quid contra rejicere, atque aversari conveniat. Profligata enim jamdudum est oratio illa, vel plena potius futilitatis opinio, fidei quidem doctrinam a veteribus, morum a junioribus petendam esse, quasi videlicet Christiana Ecclesia sexdecim saeculis plus morum scientia caruisset. Gravissimam igitur religionis caussam quum defendendam hoc libro, ornandamque susceperim, non illum

tibi

tibi muneri mitterem, qui nomen in Sodalitatem eam dedisti, cui sanctum, atque solemne est Ecclesiae salutem, & otium praesidio armorum, bellique artibus vindicare: de qua sane sodalitate praeclare te meritum esse, multa prorsus cum laude, & bona de te fama testantur? Testatur enim assiduitas, & fructus operae, navatae abs te diligentissime, quum ex sanctissimis militiae vestrae legibus maria navigares: testatur amplus, ac splendidissimus honoris gradus, ad quem virtute magis tua, quam avita generis nobilitate ascendisti: testatur constans studium, atque perpetuum, quo Melitenses Milites, collegas tuos, Reipublicae, atque ipsius Sodalitatis caussa complecteris. In ore adhuc est omnium, neque id obscurari ullo modo potest, consilio in primis, prudentiaque tua perfectum esse, ut triennio ante fortissimi, ac nobilissimi equites singularem non longe ab hoc portu de immanissimis hostibus victoriam reportaverint, triremesque illorum, omnibus instructas rebus, tres sane quidem diripuerint, atque subegerint, aliam ad fugam compulerint.

Divinae tamen religionis studium, ac patrocinium, quae laus propria, & tua, spectatissime Prorex, esse debet, multo me vehementius excivit, ut disputationem meam tibi inscribendam, amplissimoque tuo nomine cohonestandam putaverim. Si quid est enim, quod Imperatores, Reges, moderatoresque omnes Reip. maxime deceat, id sane est Sacerdotii tutela, Ecclesiae propugnatio, religionis defensio, quo videlicet hisce in terris ex

Pauli

Pauli oraculo tranquillam vitam agamus in omni pietate, & caſtitate (a). *Quemadmodum enim ex Hipponenſi Antiſtite, atque ex Romanis Pontificibus Coeleſtino I., Leone Magno, aliiſque didicimus, exploratum liquido eſt*, poteſtatem, *iis*, *qui ſunt in imperio*, non ſolum ad Mundi regimen, ſed etiam maxime ad Eccleſiae praeſidium eſſe collatam, ut abuſus nefarios comprimendo & quae bene ſunt ſtatuta, defendant, & veram pacem iis, quae ſunt turbata, reſtituant (b). *Deus enim, in promiſsis firmiſsimus, illorum conatus, & conſilia omnia facile fortunabit, ſi operam viriliter dederint, ut* primitus, quae Deo ſunt chariora ſerventur (c). *Quod totum ipſe etiam viderat Ammianus, cujus judicio*, nihil aliud eſt imperium, ut ſapientes definiunt, quam cum ſalutis alienae (d). *Quapropter etſi Parens, ac Deus noſter Romano primum Pontifici, tum Epiſcopis reliquis Eccleſiam, ſuo partam ſanguine, regendam, atque adminiſtrandam commiſerit, quia tamen viris principibus ejus tutela, ac patrocinium demandatum eſt, propterea Marcianus a Leone Pontifice* cuſtos fidei (e) *appellatur*; *Theodoſius ab eodem* regii, & ſacerdotalis animi vir (f). *Clodovaeus Francorum Rex a Remigio non ſolum* praedicator fidei, ſed defenſor (g); *& Rex ſimiliter*

** *Gal-*

(*a*) Ad Timot. I. cap. 2. ver. 2.
(*b*) S. Leo epiſt. 81. ad Leon. Imperat.
(*c*) S. Coeleſt. epiſt. ad Theodoſ. Imper. ordine 19. ap. Conſtant. n. 2.
(*d*) Lib. 39.
(*e*) Saepe in epiſtolis.
(*f*) Epiſt. 7. vet. edit.
(*g*) Epiſt. ad Heraclium &c.

Galliarum, eo nomine Septimus, Dei servum, & Ecclesiae defensorem se principem profitetur (a). *Quae talia profecto, tantaque sunt, ut me non solum movere, sed plane impellere, atque inflammare debuerint, ut librum meum tutelae, ac patrocinio tuo commendarem. Nemini enim magis commendandus liber videbatur, in quo de praesidiis religionis, & quasi nervis disseritur, quam tibi, Sardiniae totius Proregi, cui una cum potestate, & imperio religionis tutela, Ecclesiae patrocinium, pietatis custodia commissa est: immo quum penitius superiora, caeteraque id genus testimonia introspicio, satisfacere etiam mihi quodammodo videor divinae illi legi, qua sciscitur, ut rerum omnium humanarum primitiae Deo per Sacerdotis manus, tamquam donaria, offerantur* (b). *Quae ego tamen nec fusius persequor, neque distinctius, quia in eo argumento versatur oratio mea, quod magnam in optimo quoque Theologo prudentiam requirit, maturitatemque judicii.*

Illud verissime, & confidenter dicam, te Ecclesiae tutelam, ac patrocinio minus fortasse potestate, & imperio, quam moribus, ac virtutum tuarum luminibus suscepisse, probe videlicet, & egregie gnarum, qualis est rector civitatis, tales & esse inhabitantes eam (c); *filiorum autem pietatem, atque virtutem munitissimum esse*

(*a*) In litteris datis an. 1171., quae extant in Archivio Episc. Aniciensis.
(*b*) Vide quam multa primitiarum nomine possint intelligi, ap. Petrum Francisc. a Conceptione de Schol. Piis in Polygraphia Sacra verbo *Primitiae*.
(*c*) Ecclesiastici cap. 10. v. 2.

esse Ecclesiae matris praesidium. Justitia, in qua, *auctore Tullio*, virtutis splendor est maximus, ex qua boni viri nominantur (a), *religio, atque integritas vitae, pietas adversus Deum, benevolentia, & charitas adversus homines, tenujores praesertim, & inopes, publicae salutis studium, consilii vis, prudentia, aequitas, comitas, liberalitas, continentia, quae laudes videlicet sunt Christianorum principum, sic elucent in te, ut cui potissimum ex his virtutibus principatum tribuam, dubius equidem haeream. Injuriam facere nescis, vir moribus, & natura lenissimus, judex ut insontibus exoptabilis, sic iis, qui vel per errorem, vel metu aliquo, aut ardore animi inconsiderato deliquerint, haud difficulter placabilis. Vix quicquam elegantia tua dignius*, cujus & vita, & oratio, *quod olim magnifice Cicero affirmavit de Attico*, consecuta mihi videtur difficillimam illam societatem gravitatis cum humanitate (b). *Itaque eos etiam, quorum interdum facere postulata non potes, aequos a te, placatosque dimittis.* Nulla re conciliare facilius benevolentiam multitudinis possunt ii, qui multitudini praesunt, quam abstinentia, & continentia (c). *Haec tu monita, & Philosophorum praescripta, a Marco Tullio copiosius explicata, sic servas, ut nihil te abstinentius videamus. Regni enim utilitatem, & civium sic tueris, ut quae-*

(*a*) De Offic. lib. 1. cap. 7. edit. Oliv.
(*b*) De legib. lib. 3. cap. 1.
(*c*) Cic. de Offic. lib. 2. cap. 22.

cumque agas, ad eam referas, oblitus fere commodorum tuorum. Quippe probe intelligis, quod Plato auctor gravissimus, tradidit, procurationem Reipublicae ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, gerendam esse. Homo igitur mirifice abstinens, idemque in Christiana lege, & pietate eruditus, eam nobilitasti virtutem, a qua Cicero (a), *& Valerius Maximus* (b), *vivos Romanorum principes, Paulos, Africanos, Lucios Mummios, Marcos Catones, Pompejos, atque alios plures vehementer laudarunt. Hinc ego tanquam ex fonte facile manasse liberalitatem illam tuam crediderim, quam multis & privatim, & publice salutarem fuisse constat, rebus ipsis docente te, quod oratione Philosophi, decere virum principem largum esse beneficum, liberalem.*

Nam quanto, & quam inflammato publicae salutis, atque felicitatis studio tenearis, & ipsa loquitur abstinentia, & multis aliis documentis quam saepissime comprobasti, solitus videlicet ita animo excubare in Rempublicam, ut tibi (quantum consequi hominibus licet consilii luce, & vigilantia) nihil fere improvisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil novum. Sardinia in magna illa difficultate annonae, qua ante annos tres tota propemodum Italia laboravit, omni calamitatis periculo liberata est? Studio tuo debet. Ferri optimi, similiumque id genus rerum fodinas, unde maximus in universum regnum utilitatis fructus manabit, abditas in visceribus suis

(*a*) Ibid. & pro Lege Manil.
(*b*) Lib. 4. cap. 3.

suis, atque inclusas detexit? Studio tuo debet. Praedones, piratas, barbaros Christiani nominis inimicissimos, a quibus Oppidanorum salus summum in periculum, ac discrimen vocabatur, longe a finibus suis, atque portubus exterminavit, interfecit, oppressit? Studio tuo debet. Praesidiis, & propugnaculis ad reprimendos hostium impetus aucta est? Studio tuo debet. Studio tuo, quod mercatura, atque negotiatio, studio tuo, quod cultura agrorum, studio tuo, quod artificia omnia liberalia, nervi, ac firmamenta Reip. augeantur, & florescant quotidie magis, acceptum Sardinia refert, atque hilari, gratoque animo profitetur. Jam quantum ex litteris publica hominum generis felicitas, atque incolumitas pendeat, constat inter omnes. Nam praeterquam quod nec sine litteris, & sapientia utiles, & salutares leges, nec sine legibus Resp. ulla potest consistere, litterarum certe quidem studia progignunt artes, vitae hominum necessarias, inventas expoliunt, earumque progressibus consulunt, persaepe sine dubio efficiunt, ut multo quam antea facilius, & fructuosius excolantur. Aperte id loquuntur, & clamant, nullius licet oratione evocatae, Mechanices tota, Medicina, Astrorum scientia, Geographia, navigatio, cultura agrorum, ars militaris, Architectura, quae incredibile dictu est, quot, & quam magnas duobus ab hinc circiter saeculis vitae commoditates universo hominum generi, atque opportunitates attulerint, postquam litterae, depulsa barbarie, revixerunt, & ad summum splendoris fastigium assurrexerunt. Et mirabimur, si

haec

haec tecum cogitans, in haec intuens doctrinarum tu studia Prorex laudatissimus foveas, si studiosos illarum homines amicissime complectaris, si regia isthaec Academia summum in te dignitatis suae fautorem, atque propugnatorem invenerit? Me certe, non doctum quidem hominem, neque eruditum, sed doctrinae, & eruditionis percupidum, rebus omnibus tam liberaliter tractas, ut etiam in sinu, atque in oculis ferre videaris. Quod quoniam tale est, ut tibi satis magnam habere gratiam nequeam, propterea palam ego, candideque profiteor, ut saltem aliquod extet animi erga te mei argumentum.

Quid nunc diligentius persequor multa, atque praeclara, quae Sapientissimi Regis jussu, vel constructa jam sunt, vel nunc etiam construuntur, exornanturque aedificia, eaque cum totius Sardiniae, atque urbis cumprimis Caralis splendore, & utilitate conjuncta? In quae aedificia quidem, nominatimque in Academiae aedes a fundamentis magnificentissime excitatas, omni, quo potes, studio excubantem, atque incumbentem te cernimus, ne quid in illis scilicet vel ad ornatum, vel ad publicas opportunitates, vel ad perfectionem, vel etiam ad celeritatem operis optari possit, sed ut potius singula quaeque decentissime constituta, & descripta optimi Regis consiliis, atque exspectationi respondeant? Quid? An vero in his rebus, tot, ac talibus, quibus publica utilitas, atque incolumitas continetur, studium dumtaxat, sollicitudo, vigilantia elucet tua, non illa etiam, quae viro est dignissima principe, liberalitas. Atqui in parte totius civita-

tis

tis maxime omnium opportuna, impensa magna tua, ambulationem, & conjuncta ambulationi loca pluribus rebus, varioque, ac multiplici opere eleganter ornasti, quo ibi videlicet cives de quorum etiam valetudine cogitabas, honeste relaxare animos possent, & a quotidianis laboribus, ac vitae muneribus suavissime conquiescere. Quod sane studium, & impendium, in hunc urbis ornatum a te positum, atque insumptum, quantum reliquis virtutibus tuis venustatis conciliet, atque elegantiae, facile ego imperitos, qui suum rebus statuere pretium nesciunt, docere exemplo possem Cyri Minoris, Persarum Regis, praestantis ingenio, atque imperii gloria, cujus mentionem fecit perhonorificam Cicero de Senectute (a), *nisi ista me sollicitudine liberaret nobilitatis flos, civiumque omnium multitudo, & frequentia, qui in ea, quae dixi, loca libentissime ad relaxandos animos confluentes vehementer se tibi, & singulariter obstrictos esse, ipsa re magis, quam oratione, & verbis confirmant.*

En, quibus fere praesidiis, & adjumentis virtutum (multa enim praetereunda a me sunt, ne latius evagetur oratio), eo progressus es, ut populorum Sardiniae amorem tibi, & charitatem, re Sardiniae publica servata, atque aucta, mirifice conciliaveris. En quamobrem Sardiniae Rex, Carolus Emanuel III. magnus magnorum hominum, meritorumque aestimator, omnibus Sardiniae ordinibus efflagitantibus, imperium tibi diutius

pro-

(*a*) Cap. 17. ed. Oliv.

prorogavit. Nulla enim alia res prudentissimum Regem permovit, nisi constans opinio, & fama, quae de virtute tua est, qua videlicet opinione adductus te antea cunctae Sardiniae cum amplissima potestate praefecerat. Illa nunc igitur orationis pars reliqua dumtaxat esse videretur, ut de bellicis tuis laudibus, de vetustissimaque generis tui nobilitate, & gloria dicerem. In superioribus enim Italiae bellis, quae Rex fortissimus, atque invictus strenue, celeriter, feliciterque confecit, diu, multumque & virtus tua, & scientia militaris enituit, magnas res, atque eximias gessisti, militares honores es consecutus amplissimos, praeclare semper de te Rex prudentissimus & sensit, & statuit. Ne tamen loquar de bellicis tuis virtutibus, prorsus judicium facit Annibalis, qui cum Phormionem Peripateticum de Imperatoris officio, & de omni re militari copiose aliquot horas disserentem audisset, interrogatus, quidnam ipse de illo Philosopho existimaret, homo militaris rei longe omnium scientissimus libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse; sed qui magis, quam Phormio deliraret, vidisse neminem (a). *Nobilitatem vero generis aliis ego laudandam relinquo, qui in eis, quos laudandos susceperunt, nihil fere, praeter ipsam generis nobilitatem alienam certe gloriam, laude dignum inveniunt. In hoc illi regno se jactent, hic praeclaram eloquentiam suam ostentent: ego nihil invideo.* Turpe est enim alie-

no

(*a*) Cic. de Orat. lib. 2, cap. 18.

no ornatu decorari eum, qui ſua ipſius virtute illuſtris eſt, *ut a Baſilio, viro optimo, atque ſanctiſſimo edocti ſumus*. Veritatis lex proprias cujuſque laudes expoſcit..... *nunc autem* viri propria laus eſt, quae ex propriis ipſius recte factis teſtimonium habet. Quid ad filium patris claritudo (a)? *Splendorem igitur familiae tuae, nobiliſſime Prorex; amplitudinem, gloriam, vetuſtatem; fumoſas majorum tuorum imagines; res domi, militiaeque ab illis geſtas, caeteraque infinita id genus agnoſco, ac probe ſcio, non ſum praedicaturus tamen. Immo ne Fratrem quidem tuum commemorabo, qui ipſum hoc regnum aliquibus ante annis tam laudabiliter gubernavit. Haec perſpecta habeo; mirari non ſoleo. Illud miror magis, quod in tanta tua generis nobilitate, quae magnum plerumque in hominibus incitamentum ſuperbiae eſſe ſolet, tantam facilitatem morum, humanitatem, clementiam prae te feras: illud gratulor, quod nepotibus, & poſteris tuis ſpectatiſsima clariſsimarum virtutum exempla ad imitandum relinques:* non quaſi torrens aliquis, *ut iterum Baſilius loquitur*, qui confluente alieno gloriatur, ſed fons, qui ex ſuis ipſius finibus decorem effundit. *Verbo* admiror *in te* virum non alieno ornatu cohoneſtatum, ſed illuſtratum ſuo (b).

Atque haec prorſus ſunt, quae tertio me loco impulerunt, ut diſputationem iſtam meam auſpiciis in lu-

*** *cem*

(*a*) Homil. 23. in Mamantem Mart. num. 2. Tom. 2. edit. Garn.
(*b*) Ibid.

cem tuis emittendam esse statuerem. Ibi enim multa a me de variis, & diversis generibus virtutum tractantur, quarum solidam, expressamque effigiem in te facile intueor. Eam ego disputationem in Academia, ut dixi, Caralitana a me habitam, multis postea partibus, & rebus auxi, atque illustravi, ut aliquanto ornatior non solum, sed fructuosior in publicam hominum lucem prodiret. Cujus editio dum multo serius, quam voluissem, dilata est, commodum interea accidit, ut novo mihi imposito munere, sapientissimi, ac summi Regis voluntate, & judicio, aliam publice disputationem habuerim, quae est veluti quidam introitus ad labores, atque exercitationes meas de Ecclesiastica Historia. Habui autem, concione advocata, pridie, ut nosti, Kalendas Octobres: quoniam vero aliquo favore hominum perbenigne excepta est, hanc ego disputationi illi primae uno eodemque volumine subjici opportune posse existimavi. Utramque igitur ad te mitto, utraque in tuo nomine emanabit in vulgus, ut duplex, eademque perpetua exstet voluntatis erga te meae significatio ad memoriam, atque amplitudinem Costae familiae sempiternam. Vale.

Carali ex Aedibus Sancti Josephi VII. Kal. Novembres anno 1766.

DE MORALI
PATRUM DOCTRINA
ADVERSUS JOANNEM BARBEYRACUM
DISPUTATIO,
QUAE SPECIMINIS INSTAR EST,
PUBLICE HABITA
A LIBERATO FASSONIO
DE CC. RR. SCHOLARUM PIARUM
Cum primum in Regia Calaritana Academia ad tradendam Theologiam morum ingressus esset.

SERIES RERUM,

QUAE IN HAC DISPUTATIONE TRACTANTUR.

PRAEFATIO.

✤ ✤ ✤ ✤

DIſputationis inſtitutum §. I. --- VII.

PARS PRIMA

De Patrum in morum ſcientia auctoritate, & doctrina generatim, atque univerſe

Argumentum primum ex ſacris depromptum litteris §. VII. VIII.
Alterum ex Theologiae ratione §. IX.
Tertium ex ipſis Veterum teſtimoniis §. X. XI.
Barbeyraci argumentatio adverſus Patres §. XII.
Tripartito refellitur, totoque prorſus libro nihil adverſus Patrum auctoritatem profeciſſe Barbeyracum, oſtenditur §. XIII. XVI.

PARS

PARS SECUNDA

De certis, atque exploratis morum legibus a Barbeyraco inter errores perperam numeratis.

Quae Patribus crimina Barbeyracus objiciat §. XVI.
De Usura §. XVII.---XX. cum nota ad §. XIX.
De Virginitate §. XX.--XXIX.
De viri cum gravida uxore concubitu §. XXIX.---XXXI.
De castimoniae lege ordini Sacerdotum imposita §. XXXI.
De vita Monastica §. XXXII. XXXIII.
De distinctione inter consilia, & praecepta §. XXXIV.--XXXVII.
De bimaritis a Sacerdotii honore prohibitis §. XXXVII.--XLI. cum notis.
De Haereticis poena, & damno coercendis §. XLI. cum notis

PARS TERTIA

De veris in doctrina morum erroribus, falso Patribus a Barbeyraco attributis.

Partis hujus institutum §. XLII.
De Peccati definitione, & natura §. XLIII.
De Idololatria §. XLIV.---XLVII.
De jurejurando §. XLVII. LVI. cum notis
De Eleemosyna Nota ad §. LV.
De caede hominum, vitam nostram invadentium §. LVI.---LX. §. LXII. LXIII.
De militia, ubi etiam de mercatura §. LX. LXI. LXIII.
De suppliciorum, & alienae caedis adspectu Nota ad §. LX.
De caede sui, vulgo *Suicidio* §. LXIV.
De appetendo, adeundoque Martyrio §. LXV.
De Adulterio §. LXVI.---LXXV.
De Lothi cum utraque filia, & Thamar cum Juda concubitu Nota I. II. ad §. LXXIV.

De

De ornatu mulierum	Ibid. III. --- VI.
De S. Baſilii in moechos ſententia , & decreto	Ibid. VI. VII.
De Lege Tributorum	§. LXXV. --- LXXVIII.
De compenſandis alienis detrimentis	§. LXXVIII. --- XC. cum notis.
De duplici praecepto juſtitiae	Nota ad §. LXXXIX.
De Matrimonio	§. XC. --- XCV.
De poſterioribus nuptiis	§. XCV. --- CVII.
Diſputationis concluſio	§. CVII. --- CX.

DE MORALI PATRUM DOCTRINA
ADVERSUS LIBRUM JO. BARBEYRACI
PRAEFATIO
DISPUTATIONIS INSTITUTUM.

I. DEgendae vitae, ac morum ſcientiam cum ex aliis fontibus, tum vero ex Patribus petendam eſſe, ſatis conſtare apud nos arbitror, quibus religioni merito eſt ab illorum doctrina, auctoritateque deſciſcere. Sane quidem miſeratione potius, quam confutatione dignior mihi ſemper eſt habita boni illius Caramuelis vox, qui in joculari Theologia ſua, quam, ſi Diis placet, fundamentalem eſſe vult, per ſummam licentiam ineptiſſime gloriatur, non multum ſe temporis in legendis veterum libris abiicere: neque is profecto ego ſum, qui vocem ſtultitiae indicem, atque arrogantiae, in hac tanta Theologiae luce operoſius refellendam exiſtimem. Praeſtiterunt id ante me religioſiſſimi homines, atque doctiſſimi, qui Caramuelis non ſolum, ſed aliorum etiam opiniones id genus, periculoſas plane, atque peſtiferas, viribus omnibus profligarunt. Aliunde primam hanc concionem, in qua de morum Theologia aliquid diſputandum eſt, habiturus nunc quidem publice in urbe Calari, regio hoc, & praeſtantiſſimo vel conſtituto, vel inſtaurato Gymnaſio, paullo nobilius, atque adeo utilius ſeligendum mihi argumentum eſſe video, quod & hujus diei celebritati,

& Academiae nostrae splendori, & personae, quam gero, aliqua ex parte respondeat.

II. Superiore igitur, quam indicavi, disputatione posthabita, propositum mihi est, Calvinianum hominem, Joannem Barbeyracum refellere, & Patrum, quos ille exagitavit, auctoritatem, doctrinam, fidem in explicanda morum scientia vindicandam suscipere: quo fiet, spero, ut hodierna disputatio haec mea propter argumenti novitatem cum summa amplitudine, utilitateque conjunctam sapientissimis vestris auribus haud prorsus indigna esse videatur. Itaque Barbeyracus, excellenti ingenio, & doctrina vir, sed in sanctissimos Patres acerbe inimicus, & petulans, cum Pufendorfii opus de jure naturae, & gentium gallice verteret, longam ad illud praefationem apposuit, ubi fuse, atque erudite de morum philosophia, ejusque initiis, atque progressibus disputavit. Sed eruditionis laudem effraeni quodam maledicendi studio totam propemodum inobscuravit. In ea enim praefatione sic statuit, nobiliores Ecclesiae Patres, qui sex prioribus saeculis floruerunt, malos esse vitae magistros, ineptos, planeque miseros duces ad ingrediendam, atque percipiendam morum scientiam: eos quippe & maximis in omni disputatione vitiis laborare, & in plures, gravissimosque errores incidisse, quod juris naturae nec leges, nec instituta cognoverint: itaque vitae praecepta, & officia nihil minus, quam ex Patrum operibus sumenda esse. Errores vero illos toto IX. ejus praefationis articulo laboriose enumerat, atque complectitur.

III. Annis duodecim post, anno videlicet 1718. in certamen venit Remigius Ceillierius, Benedictinae alumnus Familiae, scriptorque celebratissimus, editoque Parisiis elaboratissimo opere, cujus inscriptio est, *Apologie de la Morale de SS. Peres*, singulos seorsim Patres, quos palam, ac libere Barbeyracus momorderat, ab ejusdem & contumeliis, & objectis criminibus vindicavit. Immo & Franciscus Buddaeus, Lutheranus licet Theologus, in Isagoge tamen ad Theologiam universam, quae primum in vulgus exiit anno 1727., nimia, opinor, Barbeyraci permotus licentia, multos sane, ac magnos ex illis erroribus a Patrum & scriptis, & cervicibus depulit (a). Interea Barbeyracus manus operi admoverat adversus Ceil-

(a) Lib. 2. cap. 4. in not. ad §. 4. & 5.

Ceillierium, inſcriptumque, *Traitè de la Morale des Peres de l' Egliſe*, anno illud poſtero, octavo ſcilicet, & viceſimo hujus ſaeculi, Amſtelodami divulgavit. In Praefatione ad librum appoſita, paucis Buddaei diſputationem expendit, atque elevare conatur; toto autem libro, quem in ſeptemdecim capita partitus eſt, multo, quam antea, fuſius, & criminoſius peccata, erroreſque inſtar venatici canis perſequitur, quos ſibi in Patrum doctrina viſus eſt deprehendere, acerrimumque Ceillierio bellum indicit.

IV. Belli initium Juſtinus eſt, tum Irenaeum, Athenagoram, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, Cyprianum, Lactantium, Athanaſium, Cyrillum, Baſilium, Gregorium Nazianzenum, Ambroſium, Joannem Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, Leonem, Theodoretum, Gregorium Magnum, tanquam nobiliores de omni exercitu milites ſigillatim aggreditur, ſuperbeque identidem, & inſolenter ſe effert: donec extremo opere, quaſi omnes ſuo ipſorum gladio jugulaſſet, inermemque reliquiſſet Eccleſiam, in Ceillierium ſic inſultat; auctoritatem Patrum in religionis negotio ab aliis, in morum ſcientia a ſe tandem fractam penitus, atque enervatam fuiſſe: itaque Romanam Eccleſiam, quae non ſolum ex ſacris litteris, & ratione, ſed etiam ex aliis fontibus fidei, morumque regulas deſumi vult, proſtratam penitus, foediſſimiſque confoſſam vulneribus jacere, ut nequeat erigere ſe, neque in priſtinum ſtatum redire.

Iratuſque Chremes tumido delitigat ore.

Quamquam Barbeyracum vix unquam iratiorem vidi, quam ubi de Grotio loquitur. Eum enim mentis acie, judicii vi, eruditionis magnitudine Patribus longe omnibus anteponit, neque aliam graviorum errorum, in quos interdum lapſus eſt, cauſſam ſtatuit, niſi quod nimio plus illorum & honori faveret, & auctoritati tribueret (*a*).

V. Ego ne igitur ſileam? Ego non injurias illatas viris ſanctiſſimis perſequar? non ferociorem Goliam Dei fretus praeſidio, & mea diligentia reprimam? Immo bene, ut arbitror, me-

(*a*) Chap. 1. §. 10.

meriturus ſum de Republica, ſi totus in pernicioſi operis confutationem incumbam, conſtituendaeque antiquorum doctrinae meum ſtudium, atque operam navem. Chriſtianus Thomaſius, Lutheri aſſecla, Barbeyraci calumnias in juris naturalis Hiſtoria (*a*) magnopere approbavit. Nihil vero ad Barbeyraci librum Ceillierius, nihil quod noverim, alii, uno dempto Concina, qui ut pulcherrimam controverſiam tetigerit, non perſecutus eſt tamen, ſed aliis dirimendam reliquit (*b*). Sed movet praeterea me, ne Ceillierium, & Patres inultos relinquam, recentiſſimus auctor Anonymus, qui anno 1757. Londini *ſpecimen* edidit ſuper *Juris Natur. Hiſtor.*, gallice ſcriptum, & in duo minora volumina diſtributum. Volumine enim ſecundo, quaeſtione expoſita, quae a Barbeyraco, & Ceillierio tractata eſt, illi litem adjudicat, hunc vero irridet, & diu, multumque traducit per ora hominum, tanquam bonum virum, qui nec veritus fuerit cum doctiſſimo adverſario contendere, & controverſia ad divinae auctoritatis principia revocata, inſcite prorſus ejus ſtatum, & conſtitutionem mutaverit (1).

VI. Antequam tamen progrediatur oratio, illud moneo, Barbeyracum, dum oſtendere nititur, incidiſſe Patres in errores, morum ſanctitati, & naturae juri contrarios, ea etiam non uno loco admiſcuiſſe, quae ad fidei controverſias referuntur; deinde & ſaepius, & uberius vituperaſſe eloquentiam, dicendique genus, & rationem, quam in formandis moribus ſecuti eidem ſunt. Utrumque autem jure ego meo praeteribo, ne actum agam, multumque propterea de ſuſcepti ope-

(*a*) Cap. 3. §. 22. (*b*) Theol. Tom. 6. Diſſert. Prolegom. cap. 3.

(1) Recte prorſus de tam praepoſtero judicio hominis F. A. Zacharias: *queſto io lo chiamo aver perduto il diſcorſo*, quod pluribus ſtatim argumentis oſtendit. *Biblioteca di varia Letterat. ſtraniera* Tom. 1. par. 1. art. 6. §. 18. Sed valde ego vereor, ut ſcriptor ille, quiſquis ſit, Barbeyraci, & Ceillierii opera, diligenter ſaltem, perlegerit. Clamat ſaepe Barbeyracus (utinam vero parceret contumeliis!), multa Patres tradidiſſe, quae pugnant cum ſacris litteris, multa, quae cum jure naturae; eos, verbi gratia, aſtrorum cultum probaſſe, jusjurandum quodcumque criminis arguiſſe, excuſationem dediſſe adulterio, virginitatem nimium quantum laudaſſe, Chriſtianos lege, quae eſt de reddendis tributis, ſolviſſe, uſuram omnem damnaſſe, & alia id genus. Ceillierius adverſarii ſui veſtigia perſequens docet partim ex divinis litteris, partim ex ipſis Patrum libris, partim ex aliis locis, quorum explorata eſt, vel explorata eſſe debet auctoritas, nihil tale peccatum fuiſſe a veteribus, aut ſi quid eorum, quae Barbeyracus narrat, ſcripſerunt, non illos quidem peccaſſe, ſed potius vera locutos eſſe. Eſt hoc quaeſtionis ſtatum mutare? Dii boni! ubinam gentium ſumus?

operis magnitudine detrahetur. Religionis enim controverſias & adverſarius in Praefatione receperat, ſe tranſiturum eſſe ſilentio, & noſtri Theologi ſummis ſtudiis, atque omni argumentorum copia luculentiſſime diſceptarunt: ut idcirco appoſite huc quadret aurea Auguſtini vox in Pelagiana controverſia: *cauſſa finita eſt*, *utinam aliquando finiatur error* (*a*)! Nihil igitur attinet dicere de cultu Angelorum, nihil de venerandis Reliquiis. Haec enim argumenta, vir mihi chariſſimus, atque doctiſſimus, Trombellius, poſt alios multos, vel potius innumerabiles auctores, & pluribus libris, accurate ſane, exquiſiteque conſcriptis, exhauſit, & in luce clariſſima per haec noſtra tempora collocavit (*b*). *Pro Patrum* vero *eloquentia in morum inſtitutione tradenda* tribus ante annis adverſus Barbeyracum libellum Bononiae edidit Michael Angelus Griffinus, ex Barnabitarum ſodalitio, qui etiam pollicitus eſt, totum ſe hominis opus oppugnaturum ſuo tempore (1).

Miſ-

(*a*) Serm. 131. olim 2 de verbis Apoſt. (*b*) De Sanctorum cultu.

(1) Cum ſit omnibus integrum, qua de re quiſque velit, ſcribere, patietur, credo, vir ornatiſſimus, me publicum iſtud, atque legitimum exercitationum mearum initium a qualicumque hoc cum Barbeyraco certamine faciendum putaſſe. Dicturus enim in extera & regione, & civitate, coram viris primoribus, & frequentiſſimo populo, debui afferre aliquid, quod loco, & tempori reſponderet, unaque exiſtimationi meae conſulere, eniti etiam debui, ut lectiſſimae nationis partim curioſitati, ut solet, partim ſtudiis ſatisfacerem. Nullum vero, ut dixi, praeſtantius, neque ſplendidius argumentum, quo tot res una veluti mercede conſequerer, ſeligi a me poſſe intellexi, quam ſi adverſus Barbeyracum de graviſſima cauſſa diſſererem. Griffinus igitur perutile opus, cujus ſpem fecit, cum erit commodum, divulgabit; nos officio adducti ea dicemus, non quae volumus, quaeque ſentimus, ſed quae fere a nobis dici anguſtiae temporis patientur. Pleniorem enim Barbeyraci confutationem amatores mei a me exſpectabunt, cum libros tres, qui adulti valde ſunt, *de Apollinariſtarum erroribus* in lucem edidero: quod equidem, niſi incommoda valetudo oculorum moram afferet, brevi me facturum confido, & recipio.

Jam Romae pauciſſimis ante annis, cum Litterariam Italiae Hiſtoriam legerem, didici, virum doctum, Damianum Romanum anno 1756. opus Neapoli Italicum de morali Patrum ſcientia edidiſſe; idque operis a Zacharia, pereruditо ejus hiſtoriae auctore, impenſe laudatum vidi. Quod memini, me ad Griffinum ſcripſiſſe, cum ei de ſuo opuſculo, quo muneratus me eſt, gratularer. Damiani liber inſcribitur *della Morale de' Santi Padri utiliſſima per la ſcienza del Gius della Natura*, *e delle Genti*. Sed utrum eximius vir in Barbeyracum ſcripſerit, quid ſpeciatim praeſtiterit, fateri debeo, mirifice me oblitum eſſe. Ejus vero librum ad manus non habeo, immo ne Zachariae quidem hiſtoriam. Quapropter etſi adverſus Barbeyracum calamum acuiſſet, crambem certe ego coctam non recoquam, nec me conſilii mei paenitebit. Quamquam, ut appoſite Griffinus in Proaemio (num. 5.), *cum in rem eamdem complurium ſtudia commoventur*, longe plus extat quodammodo, atque eminet veritas, mendacium vero, & orationis vanitas collectis multorum viribus facilius deletur, & obruitur.

Miſſis igitur fidei controverſiis, miſſa Patrum eloquentia; diſputabo tantum de morum doctrina, & tripartito cauſſam dividens patefaciam, antiquiores Patres in hac magnopere excelluiſſe, degendaeque vitae ſpectatiſſimos eſſe cum praeceptores, tum duces, tantum abeſt, ut diſciplinam veterem perturbaverint.

PARS

PARS PRIMA

De Patrum in morum scientia Auctoritate, & doctrina Generatim, atque universe.

✤ ✤ ✤ ✤

VII. QUid enim dubitemus? Cum divinae passim literae grandioribus verbis nos admoneant, ut morum praecepta, & leges ex incorruptis antiquorum fontibus repetamus? Sic enim Jobus: *in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia* (*a*). Et auctor Proverbiorum: *ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui* (*b*). Praeterea Ecclesiasticus: *non te praetereat narratio seniorum: ipsi enim didicerunt a Patribus suis* (*c*). Et alio loco: *sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens* (*d*). Rursus Jeremias: *state super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, & ambulate in ea* (*e*). Quibus, atque aliis locis jubemur in religionis, & morum negotio veterum investigare sententias, atque ad illarum praescriptum vitam exigere. Veteres igitur, sive Patres passim labi, errare, decipi, nec potius sapientissimorum praeceptorum numero venerandos a nobis, & colendos putabimus? Praeclaros vero duces proposuisset nobis ad sequendum Deus, quorum animus identidem vagaretur errore, quique nihil fere praeciperent, quod non in varias doctorum reprehensiones merito posset incurrere! Vides, mi Barbeyrace, quo tua demum optimorum Patrum accusatio pertinet? Recidit vel in Deum, quem imprudens fatearis, necesse est, pessime meritum esse de hominum genere, eique turpissime imponere voluisse. Quod si ne cogitare quidem potes, ecquid igitur Patres, vitae magistros, ac disciplinae contemnis? Cur auctoritatem rides? Cur in doctrinam, in sapientiam, in ingenium inveheris?

VIII·

(*a*) Cap. 12. ver. 12.
(*b*) Cap. 22. ver. 28.
(*c*) Cap. 8. ver. 9.
(*d*) Cap. 39. ver. 1.
(*e*) Cap. 6. ver. 16.

VIII. Acutiorem ego te velim. Patres enim, etsi repugnaveris, doctores videlicet sunt, non qui nihil viderint, non qui nihil grande, nihil magnificum sapiant, sed quos, teste Paulo in epistola ad Ephesios, *dedit Ecclesiæ Deus ad consumationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.... ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris* (*a*). Quare ego Augustinum secutus, quod morum magistri tam praestantes, & nobiles, divinitusque oblati hominibus *credunt*, *credo*, *quod tenent*, *teneo*, *quod docent*, *doceo*, *quod praedicant*, *praedico*: *istis cede*, *& non me caedes: acquiesce istis*, *& quiesce a me*: placet enim verbis te alloqui, quibus Julianum idem Augustinus alloquitur (*b*).

IX. Ad haec novimus, Patres nostros, viros optimos, atque sanctissimos, qui id unum studebant, ut populorum saluti, ac felicitati consulerent, ea tantum docere antiquissimis saeculis voluisse, quae essent divinis litteris, & Christi doctrinae per manus traditae penitus consentanea. Neque enim credibile est, Clementem Romanum Pontificem, Ignatium Antiochenorum, Polycarpum Smyrnaeorum, Cyprianum Chartaginensium, Athanasium Alexandrinorum, Cyrillum Hierosolymitanorum Episcopum, Hieronymum deinde, Joannem Chrysostomum, Ambrosium, Augustinum, caeteros, posthabita veterum doctrina, quae altissimas jam radices egerat Romae, Antiochiae, Smyrnae, Chartagine, Alexandriae, Hierosolymae, alias, atque alias morum leges tulisse, acceptasque a Majoribus impotenti quodam novitatis studio profanasse (1). Primum, ne quid tale suspicemur, perspecta vetat illorum religio, pietasque adversus Deum, & homines. Noverant autem Pauli sententiam, in extrema priore epistola intonantis Timotheo: *o Timothee*, *depositum custodi*, *devitans profanas vocum novitates*. Deinde cur novis rebus studerent? Quod si nihilominus studuissent, novitati profecto obstitisset Ecclesia, pertina-

(*a*) Cap. 4. ver. 11. & seqq. (*b*) Lib. 1. cap. 5.

(1) Consentientem habeo Grotium Lib. 1. de Jure Belli, & Pacis cap. 2. §. 9. num. 1., etsi in alio argumento versetur. *Neque enim probabile est*, inquit, *Ecclesias, quae ab Apostolis constitutae sunt, aut subito, aut omnes defecisse ab iis, quae Apostoli breviter perscripta ore liberalius explicaverant, aut etiam in usum introduxerant*.

tinacesque in errore, ut semper fuit in more positum, justis paenis, ac debitis repressisset. Quam fortiter enim repugnavit primo saeculo adversus Nicolaitas, communionem uxorum conantes inducere? Quam fortiter secundo vel adversus Montanum, posteriores nuptias execrantem, praeceptaque intolerabilia imponentem hominibus, vel adversus Quartadecimanos, ipso plenilunii die celebritatem Paschatis recolentes? Quam fortiter tertio, & quarto adversus opinionem illorum, qui Baptismum, administratum ab Haereticis, legitimum, ratumque esse nolebant? Neque solum Ecclesia huic generi hominum obstitit, sed nova illorum commenta publice coarguerunt nobilissimi Patres, atque scriptores, & luculentis operibus confutarunt. At nihil tale contigisse legimus, si praesertim scientiam, & praecepta morum spectemus, Ignatio, verbi caussa, Justino, Athanasio, Basilio, utrique Cyrillo, & Gregorio de Graecis, nihil tale Cypriano, Zenoni, Hilario, Hieronymo, Ambrosio, Augustino, Leoni, similibus de Latinorum familia. Cur vero? Quia scilicet Patres non novas morum leges tulerunt, sed veteres constituerunt, atque illustrarunt, nec ruebant in tenebris, omniaque miscebant, si de moribus agerent, sed quod a Christo, & Apostolis voce traditum veluti per manus acceperant, hoc impertiebant, communicabantque cum proximis, hoc fidelissime mortuis litterarum monumentis mandabant.

X. Atque id non ratio solum, sed ipsa loquitur res, & tota clamat antiquitas. Teste enim Eusebio Histor. lib. 3. cap. 36. secundum editionem Valesii, cum Ignatius Martyr Romam stipatus satellitibus per Asiam duceretur, singulas *hortabatur Ecclesias, ut Apostolorum traditionibus tenaciter inhaererent, quas quidem ad certiorem posteritatis notitiam testimonio suo confirmatas scriptis mandare necessarium duxit*. Polycarpus, ut Irenaeus narrat in epistola ad Florinum, quaecumque de miraculis Christi, & doctrina ab auritis, oculatisve testibus didicisset, *eodem prorsus modo referebat, in omnibus cum scriptura sacra consentiens* (*a*). Quibus recitatis, Irenaeus ipse ita confitetur de se: *haec ego, divina mihi largiente clementia, tunc*

(*a*) Apud Euseb. lib. 5. cap. 20.

ſtudioſus audiebam, *non in charta*, *ſed in corde meo audita deſcribens*, *eademque pro Dei gratia aſſidue repeto*, *& revolvo*. Clemens Alexandrinus, auctore iterum Euſebio (*a*), in octo Hypotypoſeon libris, qui iniquitate temporum perierunt, Pantaenum, praeceptorem ſuum, nominatim appellabat, *quaecumque ille a Majoribus accepiſſet*, *& traditiones*, *quas poſteris reliquiſſet*, *exponens*. Et ſub initium librorum, qui Stromata inſcribuntur, & multa de moribus diſſerunt, profitetur, ſe ea explicaturum, quae ab Apoſtolis *Petro*, *& Jacobo*, *& Joanne*, *& Paulo*, viva antiquiorum voce, ad ſe perveniſſent. *Certe autem ſcio*, inquit, *fore*, *ut exſultent*, *non hac dico laetati expoſitione*, *ſed ſolum*, *quod in hoc ſcripto ſerventur*, *quae illi tradiderunt* (*b*). Similiter Tertullianus facit. In Libro enim de Corona Militis probaturus, nefas eſſe Chriſtianis viris capiti coronas militares, vel caſtrenſes imponere, quod id cum Deorum cultu multis modis cohaereat, rem omnem ad conſuetudinem refert, *quae ſine dubio*, ait, *de traditione manavit* (*c*): tum occaſionem nactus complura alia religionis noſtrae inſtituta, ad Baptiſmum, Euchariſtiam, preces, jejunia, cruciſque ſignum ſpectantia non marte ſuo, ſed doctrinae ejuſdem a veteribus traditae adminiculis vindicat. Quaeſiverat ab Innocentio, Pontifice Maximo, Victricius Rhothomagenſis Antiſtes, quibus morum legibus, qua vitae diſciplina Romana Eccleſia uteretur; ut populares deinceps ſuos ad illa praeſcripta ſervanda excitaret. Reſpondet Innocentius, collaudatoque viri conſilio, antequam aliquid doceat, *ſe non nova praecepta imperaturum*, confirmat, *ſed quae Apoſtolica*, *& Patrum traditione ſunt conſtituta* (*d*). Accuſatus Hieronymus, quod Jovinianum refellens nimiis virginitatem laudibus extuliſſet, matrimonium improbaſſet, objectum crimen confidenter negat, teſtificans, non matrimonium ſe improbaſſe, ſed virginitatem matrimonio praetuliſſe ſecundum Majorum ſententiam. En illius verba in epiſt. 48. ad Pammachium ex nobiliſſima editione Vallarſii. *Ex quibus univerſis perſpicuum eſt*, *me nihil novi de virginibus*, *nuptiiſque dixiſſe*, *ſed Majorum in omnibus ſecutum eſſe ſententiam*.... *quorum aemulari exopto negligentiam potius*, *quam alio-*

(*a*) Lib. 6. Cap. 13.
(*b*) Tom. 1. pag. 323. edit. Potteri Venet. 1757.
(*c*) Cap. 3.
(*d*) Epiſt. 2. num. 2. edit. Conſtantii.

aliorum obscuram diligentiam. Nihil negotii esset sexcenta id genus testimonia ex Patrum scriptis producere. Sed nolo eruditus videri; nolo diutius, Auditores, vestra abuti patientia.

XI. Contraham igitur argumentationis vela. Nam quae hactenus collegi, ob oculos ponunt, Patres Sanctissimos, qui prioribus sex Ecclesiae saeculis floruerunt, in constituendis moribus id unum spectasse, ut ea praeciperent, & docerent, quae Dei Filius, & Apostoli tradidissent. Nam primum alia docere noluerunt (§. IX.). Deinde non alia abs se explicari, aperte, & perspicue profitentur (§. X.). Neque enim de suis, sed de traditionis fontibus morum leges depromunt, nec de novitate, sed de antiquitatis studio gloriantur. Quae ergo de moribus disputant, sunt illa quidem ab Apostolica aetate temporum intervallis distincta, tota tamen re, & sententia cum apostolica doctrina conveniunt. Quae autem ejusmodi sunt, ea certa, & exploratissima sunt, & ne ab Heterodoxis quidem vocari in dubium possunt. Non igitur Patres ut plurimum, puerorum more desipiunt, hallucinantur, errant, morum disciplinam concutiunt, sed praeceptorum loco haberi debent, quorum oporteat & doctrinam sequi, & auctoritatem suspicere.

XII. Quid, oro, ad haec Barbeyracus noster, homo videlicet acutus, & sagacitate tanta narium? Dicet sane, Veteres, nisi pravitate, imbecillitate certe quidem mentis, rerum obscuritate, disputationis aestu falli, ac decipi potuisse, nec potuisse solum, sed deceptos re vera fuisse, eosdemque non uno aliquo in genere peccasse. Quorsum, inquit, argumentatio, quae certis refellitur & monumentis, & testibus? Nonne ego Patrum errores collegi, septemdecimque capitibus in clarissimo lumine posui? Bene habet. Hic prorsus Barbeyracum volebam. Eum enim in locum delapsa oratio est, ubi totam ego hominis disputationem quam brevissime diluam, quin opus sit singulas distribute partes refellere. Concedatur tantisper, quod vult, Veteres scilicet incidisse in errores, quos toto libro persequitur; sed arctius argumentum adstringat, quo universam deinceps caussam facilius possimus cognoscere. Spondeo: ne hilum quidem proficiet.

XIII. Vestri, inquit, Patres, ut fuse exposui, errarunt. Sit ita: jacet igitur, pergit, omnis illorum auctoritas, neque ex his officii praecepta desumi possunt. Inepte, mi homo,

 ridi-

ridicule. Nego enim, ſequi, Patrum auctoritatem concidere, nego, ex his vitae officia deſumi nec debere, nec poſſe, nego, non eſſe Patres magiſtros, praeceptoreſque morum probabiles. Quippe ambigue a te poſitum eſt, ſanctiſſimos viros erraſſe. Erraruntilli quidem interdum (nolo enim nunc tecum, ut dixi, pugnaciter litigare), erraruntigitur illi quidem interdum, ſed numquid in eadem re, eodem in genere? Prorſus in diſſimili, ſic, ut reperiantur perpauci, ſi praeſertim cum reliquis omnibus comparentur, quorum error eodem ſpectet, ad idemve genus pertineat. Hoc a te unum oſtenſum eſt, ſi quid oſtenſum eſt tamen, ſingulorum nempe in Patrum operibus ſuos naevos, ſuos interdum errores ineſſe. At hinc non efficitur, Veterum auctoritatem concidere, aut ex concordi illorum ſententia firma, atque perſpicua ſumi non poſſe argumenta ad morum controverſias dirimendas. Ut tale aliquid ſequi poſſit, multis, & gravibus docere argumentis debes, totam Patrum familiam, vel maximam ſaltem partem in eadem re a vero aberraſſe. Nunc autem id neque effeciſti, neque efficere potes. Quid igitur tumes? Quid te oſtentas? Nam & Latini Theologi dicimus, ſapientiſſimos Patres, ſi quidem illos ſeorſim conſideres, caecutire aliquando, labique poſſe: neque hoc ſolum, ſed ultro etiam, & candide profitemur, nonnullos hallucinatos interdum, nec uno loco, fuiſſe. Id ex multorum numero, verecunde licet, profeſſi aperte ſunt Canus (*a*), Natalis Alexander (*b*), & alii, ſed in primis ſcriptor ex Carthuſianorum familia diligentiſſimus, nomine Bonaventura, antea Natalis Argonenſis, cui utiliſſimum opus *de optima legendi Patres methodo* acceptum referimus (*c*). Nihil igitur neceſſe erat, cur tu, homo videlicet occupatiſſimus, Dallaei, Baelii, Clerici, Witby (*d*), ſimiliumque libros percurreres, ut, ſi quam Patres ſyllabam peccaviſſent, id totum cupidiſſime arriperes, in hortoſque tuos transferres. Habebas enim confitentes Theologos. Illud volumus, illud patefacimus, univerſos ſimul Patres in eadem re falli non poſſe; atque adeo ſi omnes in aliquo rerum genere conſenſerint, verbi gratia, in virginitate laudanda, in reiiciendo foenore, jurandique conſue-

(*a*) Lib. 7. cap. 3. Concluſ. 2. (*b*) H. E. ſaec. 2. Diſſert. 16. §. 23.
(*c*) Vid. par. 1. cap. 7. (*d*) Diſſert., in quibus SS. Patrum auctoritas minuitur Londini 1714.

ſuetudine, ex hoc conſenſu tale peti argumentum dicimus, cui, ſalvo officio, refragari nemo poſſit. Eſſe enim conſenſum hunc doctrinae divinitus traditae locupletiſſimum teſtimonium, eundemque non diminui, neque tolli, neque idcirco traditionis vim enervari, etſi ex tota Patrum familia pauciores alii ea in re a communi ſententia diſceſſiſſent. Ita cum omnes Patres, & ipſa Patrum concilia ab ultima antiquitate docuerint, interdum, ſi cauſſa poſtulet, fas eſſe jurare, a nobis veluti certum ſtatuitur, 1. univerſos Patres hoc in genere rapi non potuiſſe in errorem, 2. ex concordiſſima iſta Majorum ſententia firmiſſimum plane, & inenodabile argumentum ſuppetere, quo Joannis Wicleffi, & Anabaptiſtarum, qui diſſident, opinionis perverſitas refellatur, 3. perpetuum hunc, & conſtantiſſimum Patrum conſenſum non extenuari, neque concidere, etſi nonnulli, ut Juſtinus, Irenaeus, Hieronymus, in alia, ut ſumis, fuiſſent ſententia. Planius loqui, & apertius nequeo. Tria illa autem noſtri Theologi quam ſaepiſſime oſtenderunt, Canus in primis (*a*), Natalis Alexander (*b*), & Argonenſis (*c*); tertium ego etiam non uno loco (*d*): neque idcirco expectare a me debes, ut ſingula iterum idoneis argumentis confirmem. Res enim jam minime dubias diſputando dubias facerem. Superis igitur grates: concludi poteſt, quod cupimus. Etſi enim liberaliter dederim, Patres verſatos eſſe in erroribus, quos tibi affingere ſingulis placuit, inviolata tamen, & ſalva illorum maneret auctoritas.

XIV. I. Hoc primum. Deinde quam vim, quaeſo, habet argumentatio illa tua: ex Patribus nullus fere eſt, qui nunquam offenderit, nuſquam incurrerit; ergo illis morum magiſtris uti non poſſumus, ergo miſeri ſunt vivendi praeceptores, atque ſciendi? O lepide! Hoc modo Ciceronem damnabis, veluti malum officiorum interpretem, hominemque trioboli, qui, etſi aureos de officiis libros, quos tota ſuſpexit antiquitas, ſcripſerit, aliquando tamen deliquit. Reprehendes tanquam auctores ignobiles, planeque indignos, unde naturae jus repetamus, magna illa apud vos nomina, Grotium, Joannem

(*a*) Ibid. Concluſ. 6. & 2. (*b*) Ibid. (*c*) Parte 1.
(*d*) Differt. de Cognitione S. Jo. Bapt. in matris utero exſultantis §. 15., & alibi.

nem Seldenum, Samuelem Coccejum, Thomasium, Kemmerichium, Heineccium, Koëhlerum, alios, qui, ut in hoc argumento cum laude se exercuerint, at multa certe quidem peccarunt. Ut etiam omittam, juris naturalis, quae jaciunt, fundamenta, & principia tam discordia esse, atque contraria, ut major rerum vix esse possit repugnantia. Quid dicam de Pufendorfio, amoribus, & deliciis tuis, quem *juventutis corruptorem* Lundensis Academia appellavit (*a*), tu vero saepe emendas, & corrigis? Quid de Cumberlando, quem gallice reddidisti? Quid de te ipso, cujus tot sunt, & tam manifesta in sancienda disciplina morum flagitia? Nempe & foenus probis, & virginitatem putas pro nihilo, & Christi consilia nulla esse vis, & de matrimonii usu licentius statuis, & appetentibus voluptatem veneream nimis permittis (*b*), & legem Ecclesiae sanctissimam, atque honestissimam de Sacerdotum caelibatu vituperas, & multa alia admittis, & peccas, quae excusationem non habent. Commodum te monet Horatius lib. 1. serm. 3.

Qui, ne tuberibus propriis offendat amicum,
Postulat, ignoscat verrucis illius: aequum est,
Peccatis veniam poscentem reddere rursus.

Ne secum igitur pugnes, ne tibi, heroicisque illis tuis scriptoribus omnem prorsus auctoritatem eripias, concedas, necesse est, non esse idcirco deridendos Veteres, traducendosque veluti pueros, in morum doctrina peregrinos, & hospites, quod interdum in praeceptis deliquerint.

II. Ut enim communi sermonis consuetudine virum bonum esse dicimus, non qui in ratione vitae nihil offendit, sed qui rarius labitur; ita in morum philosophia eos valde laudabimus, & sequemur, qui, etsi decepti in aliquo genere fuerint, aut non omnia semper limaverint, officii tamen praecepta firma, stabilia, conjuncta naturae, & divinis litteris ut plurimum tradiderunt. Quem enim naevus conturbet, ubi pulchri-

(*a*) V. Schwarts ex Societ. J. in Instit. Juris univers. N. & G. Instruct. 7. §. 5. in Prolegom. Augustae 1743.

(*b*) De hoc vid. ejus notam in Pufend. ad §. 2. cap. 2. Lib. 2. de Officio hom. & civis.

chritudo corporis apta compoſitione membrorum permovet oculos? Ad rem ſuperiore loco Horatius.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur; optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

Et in Arte Poetica.

Verum ubi plura nitent in carmine, non ego paucis
Offendar maculis, quas aut incuria fudit,
Aut humana parum cavit natura.

Quanto id aequius ſingulis Patribus tribuendum eſt, qui non eximia ſolum ſcientia, & mirabili quodam videndi veri deſiderio, ſed vitae innocentia, maximiſque virtutibus excelluerunt? Qui eo nervos omnes doctrinae, & ingenii conferebant, ut Chriſtianum populum ad ſanctitatis, & officii ſtudia informarent? Qui propterea & divinas litteras, & traditionis fontes aſſidue adibant (§. IX. & X.)? Quos lucernae inſtar ſuper candelabrum poſitos fuiſſe intelligimus, unde ſplendidius ad omnium, qui in domo Dei eſſent, utilitatem lucerent? Tandem ſingulorum errata ita vel pauca ſunt, vel exigua, ut quemadmodum ſtellae in radio ſolis, ſic iſta in totius doctrinae ſplendore, & amplitudine ne cernantur quidem. Haec igitur cum ita ſe habeant, ſi quis Veterum aliquando in falſas opiniones diſceſſit, id ſane auctoritatem ejuſdem in reliquis rebus non minuit, nec impedimento eſſe debet, quin ipſum in morum controverſiis loco, & tempore conſulamus. Quod ſcite etiam, & frequentius admonet Natalis Alexander in Hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi opera Patrum percenſens eorum neque naevos, neque labes diſſimulat. Legi praeterea poſſunt viri doctiſſimi, qui per hoſce annos ſummis ſuis, perpetuiſque laboribus Patrum opera multo, quam antea, accuratius, & utilius ediderunt, atque illuſtrarunt, Maurinae ſcilicet alumni Familiae, le Quienius, Muratorius, Ballerinii fratres, Vallarſius, Galeardus (*a*); praeterque hos Natalis Argonenſis in prae-

(*a*) Leg. ejus Praefat. ad S. Philaſtrium pag. 26.

praeſtanti libro, quem ſupra indicavi, de optima legendi Patres ratione. Hic enim poſtremis ſex capitibus primae partis longe diffuſius declarat, & latius, menda, errores, & contrarie dicta, ſi quae interdum in antiquis offendimus, eorum auctoritatem non frangere. Quae ego tamen in medium protuli, & mox ſubiiciam, nemini debeo; immo Argonenſem certiorem facio, multo rarius erraſſe Patres, quam credit, & quas ipſe doctrinae labes exiſtimat, has eruditorum, vel etiam mea ſententia, facile elui, tollique poſſe, ſi induſtriam adhibeamus, & ſtudium.

III. Tertium ſupereſt, quo Barbeyracum adoriar. Nam, ſi ſuperioribus rebus poſthabitis, pertinaciter nihilominus vult, abiiciendos eſſe Patres ob menda, & errores, quos ſingulis vitio dat, viderit, quaeſo, quid faciat. Rationem quoque cogetur abiicere. Ita omnis intercludetur locus, unde vitae officia promamus. Quamvis enim rationis munere nihil excellentius, neque praeſtantius hominum generi a Deo tributum eſt, illa tamen male dum utimur, pernicioſiſſimis implicamur erroribus, eaque praeterea tam tenuis, & imbecilla eſt, tantis effuſa tenebris, ut plurimarum rerum cauſſas, fines, adjuncta, σκέσεις non videat, noſque creberrime in inquiſitione veri deſtituat. Ratione igitur uti ad inveſtigandas res ſaepe homines nequeunt, recte ubi ſaepe neſciunt. Barbeyracus tamen, caeterique, quos ante dixi, ſcriptores rationi tantum tribuunt, ut in naturae jure explicando divinam prorſus auctoritatem, ſane quidem aliquanto licentius, ſeponant, & in una dumtaxat rationis vi plerique acquieſcant. Quae cauſſa eſt, cur in tam varias, tamque inter ſe repugnantes diſtrahantur ſententias, ut ne in initiis quidem conveniant. Ubi ſilentio praetereo, quae falſo, abſurde, imprudenter, vitioſe docuerunt: non enim libet omnia criminari. Alioquin unus inſtar omnium abunde eſſe poſſet Thomaſius, quem non puduit ſcribere (*a*), adoleſcentulorum amores, tam familiares Graecis, vagum, & ſolutum concubitum, conjunctionem cum beſtiis, aliaque id genus obſcoene facta ad expletionem ſolius libidinis naturae legibus non interdici. Ut ergo non vituperamus rationem, neque reiicimus,
quod

(*a*) Juris pr. div. Lib. 3. cap. 2.

quod ratione tunc etiam, cum maxime nolumus, abutentes in plures, foedissimosque errores incidamus; ita ne veteribus quidem Patribus irascemur, multoque minus eos nobis, ut Barbeyracus facit, pro deridiculo, & delectamento putabimus, quod in tradendis officiorum praeceptis aliquid ipsis interdum exciderit, quod reprehensione dignum videatur. Quocumque ergo se vertat, elabi Barbeyracus non potest. Itaque sic habebit, suam in singulis Patribus, etsi quandoque offenderint, auctoritatem inesse, hanc geometrica fere ratione amplificari magis, & crescere, quo plures Patres in idem consenserint, plene denique esse, cumulateque perfectam, talem scilicet, quae cogere animos debeat, ubi, ut in cythara fides, sic universi inter se Patres concordant, & concinunt (§. XIII.).

XV. Sed, ne quid lucis, vel roboris in disputatione mea desideres, placet nunc distincte, & quasi per partes, quod paullo ante Barbeyraco respondi, constituere, atque explicare. Positum enim a me est, inter Patres *reperiri perpaucos, si praesertim cum reliquis omnibus comparentur, quorum error eodem spectet, ad idemve genus pertineat* (§. XIII. sub init.). Id autem verissime, & consulto, ut omnes machinas, toto libro a Barbeyraco adhibitas, uno videlicet ictu subruerem. Diligenter, quaeso, attendite. Etsi noster ille in complures Patres, qui in sex priora saecula inciderunt, acerbitatis suae virus effuderit, eosque caeteris illustriores, & nobiliores appellet (§. IV.), plurimos tamen, atque hos nobilissimos praetermisit: quod sane & accusationis ipsum veluti truncum evertit, & omnes radicitus fibras elidit. Praetermisit enim Barnabam, Hermam, Clementem, Ignatium, Polycarpum, scriptores Apostolicos: Theophilum, qui fuit secundo saeculo: Zenonem, qui opinione nostra refertur ad tertium: Eusebium, Jacobum Nisibenum, Hilarium, Ephraemum Syrum, Epiphanium, Gregorium Nyssenum, Macarium Ægyptium, Didymum, Amphilochium, Innocentium I., Gaudentium, qui ad quartum: Paulinum Nolanum, Prudentium, Maximum Taurinensem, Cyrillum Alexandrinum, Nilum Monachum, Petrum Chrysologum, Cassianum, Prosperum, qui ad quintum: Caesarium, & Fulgentium, qui ad sextum: spectatissimi vero, atque gravissimi hi Patres sunt: quippe omnes & sanctitate (si Eusebium, Didymum, Prudentiumque excipias),

pias), & litteris, ac ſapientiae gloria floruerunt. Breviter videamus de ſingulis.

II. Barnabae epiſtola docet, Moſaicam legem obrogatam fuiſſe, & dat aurea ſalutis monita, & praecepta vivendi. Quae epiſtola niſi Barnabae eſt, ſcriptoris eſt certe Apoſtolici. Hermas, Clemens, Ignatius, Polycarpus, vel Buddaeo judice, *quae ad doctrinam moralem ſpectant, apoſtolica plane & majeſtate, & ſimplicitate proponunt, veritatis pariter, ac ſanctitatis ubique rationem habentes* (*a*). Theophilus, auctor ſcilicet trium librorum ad Autolycum, qui, & quantus vir fuerit, cognoſces ex Maurino Juſtini editore (*b*). Atque is inter alios perutiles libros, ſcripſerat etiam, teſte Hieronymo, *breves, elegantesque tractatus ad aedificationem Eccleſiae pertinentes*. Zeno, ante annos 27. editus à Balleriniis, optimis abundat praeceptis, inſtitutiſque philoſophiae Chriſtianae. Idem ſtatuo de Euſebio, cujus in Pſalmos, & in Iſaiam commentarios Montfauconius, de Jacobo Niſibeno, cujus ſermones latine, & ſyriace Antonellius Cardinalis, de Ephraemo, cujus opera multis voluminibus Aſſemanus, de Epiphanio, cujus *expoſitionem in Cantica Canticorum* protulit nuper in lucem Petrus Fogginius. Hilarium, Gregorium Nyſſenum, Didymum, Innocentium I., eorumque opera nemo ignorat. De Hilario nominatim notum illud Hieronymi in epiſtola ad Laetam. *Athanaſii epiſtolas, & Hilarii libros inoffenſo decurrat pede* (*c*). Didymo, ut hoc praeteriens dicam, adjudicandi fortaſſe libri tres de Trinitate, inventi, etſi nondum editi, a viro docto, mihique àmiciſſimo, Aloyſio Mingarello (*d*). Amphilochii etiam opera ſic eidem probantur Hieronymo in aurea ad Magnum, Oratorem Romanum, epiſtola, ut ipſius teſtimonio *neſcias, quid in illis primum admirari debeas, eruditionem ſaeculi, an ſcientiam ſcripturarum* (*e*). Macarius Ægyptius, auctore iterum Buddaeo (*f*), *earum rerum, quae ad interiorem animi culturam pertinent, fuit callentiſſimus, & omnibus* Patribus, *qui ſedulo inculcarunt, quae vitae ſanctioris ſtudium promovere poſſunt,*

(*a*) Loc. cit. ad §. 3. pag. 354. (*b*) Praefat. par. 3. cap. 15.

(*c*) Epit. 107. edit. Vallarſ. (*d*) V. ejus epiſtolam *ſopra un' opera inedita di un antico Teologo*, & Ferdinandi Mingar. fratris *Veterum teſtimonia de Didymo Alexandrino*.

(*e*) Epiſt. 70. edit. Vallarſ. (*f*) Prolegom. ad Inſtitut. Theol. Mor. §. 19.

funt, *dubiam palmam reddit tum in homiliis*, *tum in aliis opufculis*. Paulinum, Nolanum Antiftitem, in tradendis vitae officiis excellere, declarant ejus epiftolae, & poemata, quorum locupletiorem editionem Muratorio debemus. Excellit & Nilus Monachus, difcipulus Joannis Chryfoftomi, cujus quatuor epiftolarum libri, graece, latineque a Leone Allatio divulgati, toti fere in recondita, & interiore quadam morum doctrina verfantur. Excellit, quem propemodum oblitus fueram, Philaftrii fucceffor, Gaudentius, qui nuper novo lumine collustratus in publicum prodiit opera, & ftudio Galeardi, juffu autem, & fumptibus Angeli M. Quirini, re magis, quam nomine, eminentiffimi. Petrus Chryfologus inter doctores Ecclefiae merito fuo numeratur, inter propugnatores religionis fortiffimos Cyrillus Alexandrinus. Prudentius, poeta nobilis, multa verfibus explicavit de vitiis, & virtutibus, rebufque aliis ad mores fpectantibus, & *ftylo* quidem *fatis eleganti*, *ac venufto*, Cavei ipfius fententia. Doctrina Maximi, Taurinenfis Pontificis, ubique elucet in Homiliis, quibus duodecim Mabillonius addidit, eductas ex pervetuftis codicibus. De Caffiani autem, Profperi, Caefarii, Fulgentii, addo etiam, Aviti Viennenfis, & Caffiodori fapientia, litteris, & ingenio loquuntur, nobis tacentibus, illorum opera luculenta, & illuftria. Caffiani enim errores ad philofophiam morum non pertinent.

III. Sed quo magis Barbeyracum pudeat, nondum finis. Diceres, objurgatorem ipfum Patrum, tam acutum, fcientemque antiquitatis, omififfe Sixtum II. Romanum tertio faeculo Pontificem. Siberus enim, ut ex Buddaeo cognovi, Lipfiae anno 1725. in lucem edidit nomine Sixti Enchiridion, librum nempe contextum vocibus, atque fententiis ad moderandam vitam fpectantibus, quas idem auctor cum divinorum librorum, & aequalium Patrum fententiis laboriofiffime contulit, notifque appofitis eruditiffimis illuftravit. Sed compertum habeo, eum librum Sixto effe fuppofitum. Si recte tamen Ariftarchus nofter Sixtum praeteriit, at certe ex ipfis Siberi notis intelligere debuit, Patres omnium vetuftiffimos de virtutibus, & vitiis, omninoque de rebus bonis, & malis egregia, & vera locutos effe. Nec erant praetereundi Apoftolici Canones, tertio ineunte faeculo ex Conciliorum actis, vel ex communi Ecclefiae difciplina, inftitutifque collecti, Apofto-

lici idcirco appellati, quod ex πρᾶξα, doctrinaque Apoſtolica dimanarunt, aut ab Apoſtolicis viris ſunt editi. Omiſit praeterea Barbeyracus alios Patres, & ſcriptores, qui eiſdem illis ſaeculis fuerunt, quorum ſane & opera, & nomina facile cognoviſſet, ſi, ut eſt in jure naturali verſatus, ita in lectione Veterum, atque in Theologia profeciſſet. Sed hanc ille Corinthum non adiit, maria fortaſſe ne navigavit quidem. Ad extremum omiſit Patrum concilia, habita ſex prioribus ſaeculis, ubi diſciplina, ubi morum, ubi vitae ſanctitas ſalutaribus conſtituta eſt documentis. Et tamen, ſi Diis placet, ſe jactat, ſe circumſpicit, ſibi plaudit, quaſi extremum Eccleſiae peſtem, atque perniciem attuliſſet. Res ſane, & confidentia eo intolerabilior, quo magis ex ipſo etiam numero Patrum, quorum ille doctrinam totidem capitibus reprehendit, demi ſaltem ſine dubio debent Athanaſius, Cyrillus Hieroſolymitanus, Theodoretus, & Leo, quos vel arguit de certis, atque exploratis in diſciplina morum ſententiis, vel nugis tantum, & ineptiis de veteri exiſtimationis gradu conatur deiicere.

IV. Sic igitur diſputo. Etſi conceſſerim Patres, quos Barbeyracus inſimulat, incidiſſe in errorem, pauci tamen de hoc numero ſunt, qui in eodem rerum genere offenderint: in tuto eſt igitur Antiquorum auctoritas (ex toto §.XIII). Enimvero & longe plurimos prætermiſit adverſarius Patres, quorum in ſcriptis non docuit, eaſdem, quae in paucis illis, labes, eadem vitia inſidere, & ex hoc paucorum numero demendi omnino ſunt Athanaſius ſaltem, Cyrillus, Theodoretus, & Leo: eſt ne id igitur, ut de ſe inaniter gloriatur, *labefactare auctoritatem Patrum, qui ſex primis fuerunt ſaeculis*, neque *laiſſet aucune reſſource aux pretenſions de quelle Egliſe, que ce ſoit... qui cherchera, hors de l' Ecriture ſainte, & de la raiſon, la regle de ce, que chacun doit croire, & faire* (*a*)? Papae! Poterit ergo opere iſto ſuo male animatis hominibus, aut ineruditis imponere, mediocriter eruditis, tantum abeſt, ut doctis, non poterit.

PARS

(*a*) Pag. ult.

PARS SECUNDA

De certis, atque exploratis morum legibus,

A BARBEYRACO

Inter errores perperam numeratis.

XVI. HAec autem plane sufficerent ad Barbeyraci frangendam audaciam, neque necesse foret obiecta Patribus crimina sigillatim diluere, cum universa hominis disputatio uno quasi labefactata motu dilabatur, & concidat. Sed ne nos fortasse quispiam timiditatis accuset, quasi qui propius conferere praelium cum ipso nolimus, age, videamus nunc ordine, quaenam demum flagitia sint, peccata, distortaeque rationes, & ineptiae, quibus sanctissimi Patres morum scientiam contaminarunt. Ex sola criminis narratione constabit, multa ab adversario in errores referri, quorum tam perspicua est veritas, ut eam infirmare nulla res possit. Percipite igitur, quaeso, Calaritani cives, quae dicit, & ea penitus animis vestris, mentibusque mandate. Principio enim magna verborum libertate in Patrum famam incurrit, quod omnem prorsus usuram rejecerint, virginitatem plurimi aestimaverint, praetulerintque conjugio, virum uxore gravida uti noluerint, sacris Deo hominibus perpetuae castitatis legem praescripserint, bimaritum a sacerdotio repulerint, Monasticam vitae rationem collaudaverint, praecepta Christi a consiliis distinxerint. Haereticos denique poena, & damno coerceri posse docuerint. Ita de Lactantio agens, in ipsa Ecclesiae lumina, Cyprianum, Basilium, Ambrosium, Augustinum, Joannem Chrysostomum, similes acerbissime, & contumeliosissime invehitur, ideo quia usuram, & foenus quodcumque improbarunt, adjungens, id summam illorum imperitiam in jure naturae, moralique scientia ante oculos ponere: quippe cum in ea plerique opinione fuerint, quae morum doctrinae, ipsisque divinis litteris, quas interpretati perperam sunt, mirabiliter adversatur (*a*).

XVII.

(*a*) Cap. 9. §. 6. &c.

XVII. Ubi quis non videat, hominem hunc, iracundia ardentem, furere potius, quam disputare, & nivem nigram cum Anaxagora dicere? Neque enim lineas transierunt Patres, quod generatim, atque universe vetuerint dare pecuniam foenori, etiam locupletibus. Sed tota potius errat via adversarius, qui Calvinum suum secutus a perpetua discessit, & constantissima Majorum sententia (§. XIII), quae praesertim omnibus septa est, atque obvallata praesidiis. Quippe docuerunt id, quod sacrae literae, & recta ratio praecipiunt, quod universa Ecclesia ab omni antiquitatis memoria tradidit, quod omnes semper Theologi uno ore, & voce affirmarunt. Paucos ne ex Calvini gregalibus antepones his, ac talibus testibus, qui, ut rationem non redderent, auctoritate tamen licentiores istos Philosophos vincerent? Nam quid, Deus bone! Molinaeus, Salmasius, Noodtus, Boehmerus, Pufendorfius, Barbeyracus, Buddaeus, Nicolaus Broedersen attulerunt in medium, quod omni argumentorum genere non profligaverint, in nihilumque non prorsus redegerint nostri scriptores, atque Theologi? Neque hic commemorabo Theologorum sine dubio principem, Thomam Aquinatem, & alios paullo antiquiores, qui contorta hominum illorum sophismata multo ante diluerunt (*a*). Mihi ad obtinendam caussam nominasse sat erit Leotardum (*b*), Gayttem (*c*), Sambovium (*d*), Nicolium (*e*), Natalem Alexandrum (*f*), Pontasium (*g*), Concinam (*h*), Remigium Maschatum de Scholis Piis (*i*), & qui instar omnium esse poterit, Benedictum XIV., Pontificem Maximum (*k*), qui praeterea anno 1745. Decretali de usuris edita epistola, controversiam penitus sustulit. Fremat igitur, per me licet, Barbeyracus: cum ego hoc loco ne audiendum quidem existimo, praesertim cum illius adversus Patres oratio plena acerbitatis sit, & contumeliae.

XVIII.

(*a*) V. Concin. *Esposizione del Dogma interno l' usura*. Lib. 2. cap. 5.
(*b*) Tract. de Usuris. (*c*) In Opere adv. Molinaeum, Salmasium &c.
(*d*) Gallice Saintbeuve in resolut. casuum Consc. Tom. 2. casu 210.
(*e*) Traité de l' usure. (*f*) Theol. Dogm. &c. Tom. 2. lib. 3. cap. 7.
(*g*) In Diction. verbo *usura* edit. ult.
(*h*) Loc. cit., & in Theol. Tom. 7. lib. 3. Differt. 3.
(*i*) Resolut. Canon. par. 2. ad Tit. *de usuris* Resol. 1. (*k*) De Syn. Dioeces. lib. 10. cap. 4. Romae 1755.

XVIII. Duo dumtaxat attingam quam breviſſime potero, primum videlicet, omnem prorſus uſuram profanis etiam Philoſophis & inviſam, & improbatam fuiſſe. In his Plato in quinto de Legibus, & Ariſtoteles (*a*) probant, eam comparandae pecuniae rationem maxime omnium a natura abhorrere. Athenienſes & legibus adverſus uſuras pugnarunt, teſtimoniaque eo facientia vidit etiam, collegitque Kemnitius (*b*). Cicero extremo lib. 2. de Officiis *foenerari* idem ait eſſe, ac *occidere*. Et lib. 1. cap. 42. *improbantur ii quaeſtus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut foeneratorum*. Cornelius Nepos Pomponio Attico laudi dat, quod Athenienſibus, & Fulviae uxori Antonii magnam pecuniae vim ſine foenore credidit (*c*). Seneca autem de Beneficiis: *quid foenus, & Kalendarium, & uſura, niſi humanae cupiditatis extra naturam quaeſita nomina?* Plutarchus quoque id vitii acerrime inſectatur in commentariolo *de vitando aere alieno*, & longo ante intervallo Ariſtophanes apud Suidam *in nubibus* dixerat, *uſuram eſſe feram quamdam belluam, quae per menſes, & dies amplius argenti ſemper gignit, ſerpente tempore*. Propterea civiles Romanorum leges foenora, tanquam peſtem ſocietatis, atque perniciem haud raro condemnarunt. Et quoniam Barbeyracus inſcite abs Ceillierio quaerit, unde didicerit, primis Eccleſiae ſaeculis leges quoque civiles adverſus uſuras conſtitutas fuiſſe (*d*), leges illas homo eruditus reperire facile poterit apud Natalem (*e*), & alios, qui M. Catonis, & Taciti loca producunt ad rem patefaciendam idonea. Pudeat igitur levitatis ſuae Heterodoxos ſcriptores, qui ejus facinoris patrocinium ſuſceperunt, quod moleſtiſſimum ſemper, & odioſum fuit vel populis, divinae lucis, & religionis expertibus.

XIX. Sed & illud omni ſtudio tum ipſi, tum alii caveant, ne uſurae vim ſpecioſis magis, quam Chriſtianis momentis expendant. Species quidem veritatis blanda, ſed re ipſa multis locis repudianda eſt, ne offendamus. Ex quo peſtis illa coepit per vitam hominum ſerpere, nihil foeneratores intentatum reliquerunt, quo minus deſperatam cauſſam defenderent, & in

(*a*) Lib. 1. de Republ. cap. 10. (*b*) Tom. 2. de Loc. Theolog. cap. 6.
(*c*) In Pomponio cap. 2. & 9. (*d*) Ibid. §. 17.
(*e*) Ibid. art. 2. propoſ. 4. num. 2.

& in excusanda avaritia se Philosophos ostenderunt, ut pulchre Gregorius loquitur, Nyssenus cognomine. *Vitia nostra, quia amamus, defendimus*, ait apposite Seneca, *usurae dulces* sunt opinione Manilii, itaque, Horatio teste, *dulce*, ac *solemne* erat Romanis foeneratoribus

Cautos nominibus certis expendere nummos (*a*),

Foeneratorque in his attentissimus Alphius

Jam jam futurus rusticus
Omnem relegit Idibus pecuniam,
Quaerit Kalendis ponere (*b*);

immo, auctore ipso Thoma Aquinate, *usura aliquam speciem aequitatis praetendit* (*c*), quae obductis veluti oculis, omnem fere ejus turpitudinem obtegit. Enitendum hic tamen vigilantius, ne rationi insidiae fiant. Lex enim de usuris excellentior est, atque altius posita, quam ut *humana natura ad illius sublimitatem perveniat* (*d*), atque adeo necesse est errori diligenter obsistere, fidei lumine implorato. Videndum igitur, ecquid jubeant divinae litterae, ecquid sciscant publica Christiani orbis concilia, ecquid doctrina per manus tradita postulet, eo magis, quod illorum plerique, qui in investiganda natura foenoris rationi toti confidunt., in exitialem Salmasii, & Molinaei sententiam relabuntur. At divina Oracula, Concilia, Traditio apertissime inculcant, ne foeneremus pecuniam. Imbecillitatem ergo ingenii his fulcire debemus praesidiis, fallacique veri specie rejecta intelligendi vim *in fidei obsequium captivare*. Alioquin fieri facile poterit, ut Agar Ægyptia, quae ratio est, insolescat, propttereaque mature domo excludenda, ne aut Ismael Isaaci simplicitatem irrideat, aut Agar ipsa Sarae bonitatem contemnat. Affligat ergo ancillam domina, & corrigat, Theologia videlicet rationem, reluctantemque in officio cum pudore contineat. Praeclare jurisconsul-

(*a*) Lib. 2. epist. 1. (*b*) Epod. 2. in fine.
(*c*) Opusc. de usur. cap. 4. (*d*) Leo Novel. 83.

ſultus neſcio quis: *ſumma omnium rationum eſt, quod Deus ſic voluit, & uſuras deteſtatus eſt in veteri, & novo teſtamento* (*ex Cap.* ſuper), *& ideo aliam rationem quaerere non expedit multum. Nam Rom.* XI. *dicitur*, o altitudo divitiarum; *& ad hoc etiam facit* ff. de Legibus l. non omnium (*a*). Dicere enim, totis ſexdecim ſaeculis neque Patres, neque Theologos divina de re graviſſima teſtimonia aſſecutos non eſſe, ne illos quidem, qui proxime ad Apoſtolorum tempora acceſſerunt, garrire eſt, non diſſerere. Sed de hoc vel argumento, vel monito, quod ego exornavi, multo plura, & utiliora Nicolius in poſthumo de uſuris opuſculo (*b*), gallice edito anno 1720. (1).

D XX.

(*a*) Auctor ſupplem. Piſanellae. (*b*) Chapit. 6.

(1) I. De tota hac vero controverſia adeundus omnino magnus, & apprime doctus vir Petrus Ballerinius, quem facile dixeris, omnium hac in re ſcriptorum noſtrorum gloriam, atque induſtriam longe, lateque ſuperaſſe aureo illo, immortalique opere, quod Bononiae anno 1747. exivit in lucem, *De Jure divino, & naturali circa uſuram*, in libros ſex diſtributum, ubi a praeclaro auctore *adverſus Haereticos uſurarum patronos, cum recentes, tum antiquiores, Catholicum praeſertim dogma fuſe defenditur*, atque illuſtratur ea rerum copia, eruditione, delectu, ordine, & argumentorum pondere, nihil ut reliquum ſit, quod deſideres. Quo ego prudentius ab inani labore me abſtinui. Nam alioquin perfacile mihi fuiſſet ex nobiliſſimo opere ea decerpere, quibus Barbeyraci labefactarem ratiunculas, notiſſimas praeſertim vel pueris, & ſexcenties profligatas. Exemplo eſſe poteſt, quod ait, mutuum eſſe locationi perſimile (cap. 9. §. XV); quo quid magis falſum, quid ſaepius refutatum, quid indignius his, ac talibus juris naturae interpretibus? Quaſi vero non liqueat, in locatione uſum rei dumtaxat concedi, cum autem mutuas damus pecunias, aut aliud quidpiam, rei una uſum, dominiumque transferri in eum, qui rem a nobis mutuam ſumit. Atqui a multis jam ſaeculis, & aetatibus, praeter Juſtinianum Imperatorem, Paulus Juriſconſultus tradiderat, mutuum inde appellatum, *quia ita a me tibi datur, ut ex meo tuum fiat*, adeo, ut *ſi non fiat tuum, nulla naſcatur obligatio*. L. 2. D. *de rebus creditis*.

II. Molinaeus, Salmaſius, Broederſen, auctor libri *Des Prêts de commerce* (par. 2. art. 1.), caeteri, tum Maffejus, & pauci quidam Philoſophi argumentorum vi, ac pondere, quae ex ſacris ducuntur litteris, pene obruti, atque enecati ad jus naturale, ut ſignificavi, confugiunt, ex eoque divinae legis ſcita interpretari conantur. Praepoſtere id vero his etiam de cauſis, Deus enim vetare, ac praecipere potuit, quae naturae lex nec vetat, nec praecipit, ut ne homines, verbi gratia, animantium carnibus paſcerentur. V. etiam Grotium de J B. & P. lib. 2. cap. 12. §. 20. num. 3. Deinde ubi de rebus agitur ad mores ſpectantibus, quae naturali jure includuntur, divina auctoritas rationi anteponenda eſt, non ratio auctoritati, ita ut ex lege divina feratur de ratione judicium, non ex ratione de divina lege: alioquin perniciosiſſimis abripiemur erroribus, probabimuſque peſtiferum illum ignoti Auctoris librum. *Philoſophia ſcripturae interpres*. Mihi quidem ſic penitus perſuaſum eſt, furioſi eſſe hominis conſtituere rationem humanam, quae mirifice depravata, & corrupta eſt, tanquam normam; & regulam infinitae Dei rationis, quae in ſacris litteris continetur. Accedit, quod iſti defenſores uſurae iis nituntur rationibus, quas jactant quidem, & verbis exaggerant, ſed ludus eſt tamen diſſolvere, cujuſmodi eſt argumentum, ductum ex foecunditate pecuniae, in quo refellendo, intorquendoque in auctores ſuos Ballerinius triumphavit, vel familiari exemplo furis propoſito. Lib. 5. cap. 5. §. 4. & 5. Sed legatur Ballerinii opus, de-

XX. Nos pergimus. Virginitatem exquisitissimis verbis, & argumentis laudarunt non Clemens solum Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Ambrosius, Hieronymus, alii, in quos Barbeyracus petulanter insultat, sed, quos ille non vidit, epistolarum auctor, nuper sub Clementis Pontificis nomine editarum, virique egregie sancti, Zeno Veronensis (*a*), & Jacobus Nisibenus Antistes (*b*), qui locum istum totum aureis sermonibus accuratissime illustrarunt. Similiter reliqui faciunt: omnes virginitatem, ut praestantissimam quandam coelestemque virtutem percelebrant, multisque partibus matrimonio anteponunt: quae una omnium vox argumento est locupletissimo, nihil Patres docuisse, quod ex incorruptis Ecclesiae, divinaeque traditionis fontibus profectum non fuerit (§. XIII.). Ad haec virginitatem Veteres non solum magno omnes consensu collaudant, sed de illius praestantia exquisitissimis & testimoniis, & rationibus disserunt. Negari enim, si pertinaciam abiicias, nequit, quin Dei Filius, Joannes, Paulus disertissime ejus virtutis vim, utilitatesque percenseant, eandem-

deprehendesque, omnem generatim usuram, modicam etiam, extortamque a divitibus jure divino Hebraeorum, & nostro damnari; eandem praeterea rationi, justitiae, nedum charitati, reipublicae utilitatibus, veteribusque Romanorum legibus, quarum ille seriem, sua digestam in tempora, adornavit (lib. 5. cap. 3. §. 3.), apertissime esse contrariam. Opus Barbeyracus ipse si legeret, nihil dubito, quin minus contumeliose, & acerbe de Patribus, nostrisque Theologi loqueretur, & in alia omnia discederet.

Si foret hic nostrum Fato dilatus in aevum
Detereret sibi multa: recideret omne, quod ultra

Æquum, & fas effudisset, & in suis corrigendis erroribus

Saepe caput scaberet, vivos & roderet ungues.

Horat. Serm. lib. 1. serm. 10.

III. Nostri vero homines, qui ad eam se lectionem contulerint, hoc praeterea intelligent, ex ipsa erroris origine, qui tam sero ab Inferis prodiit, & Haereticos auctores habet, Catholicam de usuris doctrinam perspicue elucere. Nam qui tandem erroris signiferi? Patareni, vel Cathari, qui omnium primi saeculo 13. novam Veronae, & antea inauditam de usuris haeresim disseminare coeperunt, cunctis deinde sententiis damnati a Viennensium Patrum concilio anno 1511. Fuerunt antea quidem interdum, qui usuras in peccatis non numerarent; sed ii non *dogmaticus* ut appellant, sed popularis error fuit, ortus ex ignorantia, non ex pertinacia. Cujus generis erroribus imperitorum animi persaepe occupantur. V. Ballerin. Praefat. §. 1.—6.

(*a*) Tract. 4. & 5. lib. 1. edit. Ballerin. 1739.

(*b*) Serm. 17. de virgin. & sanctit. edit. Cardin. Antonelli.

demque in libris novi foederis longiſſime nuptiis anteponat, praedicatore etiam, & teſte Grotio apud Ceillierium (*a*).

XXI. Gentiles ipſi, quibus nihil luxurioſius, nihil libidinoſius, tamen cum intelligerent, corporis voluptatem non ſatis eſſe dignam hominis praeſtantia, pudicitiae univerſim, & virginitati, atque virginibus divinos quoque honores adhibebant. Eſt autem honor proemium virtutis, vel teſtimonium judicio, ſtudioque prudentium datum alicui. De Veſtalibus Juſtus Lipſius adiri poteſt (*b*): nolo enim in rebus tritis, & pervulgatis verſari. Illa minus nota. Pudicitiam inter Deas a a Romanis cultam, a Plinio accepimus (*c*), eique ſtatuam in foro Boario poſitam teſtatur Feſtus. Fauna pudicitiae cauſſa poſt mortem Dea habita eſt, ut docet Varro, atque illi a Romanis matronis in operto ſacra fiebant nocturno tempore. Auctore Ambroſio, *ipſis Gentilibus inter aras, & focos venerabilis ſolet eſſe virginitas* (*d*). Minerva Pallantis filia, & Diana propter virginitatis laudem ſummis Graecorum, & Latinorum praeconiis celebratae. Eadem Minerva, quam Graeci Ἀθήναν dixere, venerationem praeterea magnam habuit apud Ægyptios, Phoenices, Germanos, Gallos (*e*). Diis nulla virginibus gratior victima. Hinc illud Virgilii,

Sanguine placaſtis ventos, & virgine caeſa
Quaerendi reditus (*f*).

Polyxenam virginem mitigandis Achillis manibus mactatam eſſe, didicimus ex Ovidio (*g*), & Seneca (*h*). Protogenia, & Pandora Diis ſe ſe immolandas tradidere pro patria, ut Phanodemus apud Suidam. Cum Ajax Caſſandram violaſſet, reſpondit Deus, ſi Tzetzi (*i*) credimus, *non alio ritu placatum in Palladem, quam ſi per mille annos duae ſibi virgines per ſortem, atque inſidias mittantur*. Quae cum ſint, Virgilius Æneid. lib. 11. magnopere Camillam laudat, quod

(*a*) Cap. 5. num. 3. (*b*) In Syntagm. de Veſtal. cap. 11.
(*c*) Lib. 2. cap. 7. (*d*) De Virginitate cap. 3. num. 13. edit. Maurin.
(*e*) V Jo. Frontonem Differt. 8. § 3. de Virginit. adorata. Veronae 1733.
(*f*) Æneid. lib. 2. (*g*) Metamorph. lib. 13.
(*h*) In Troade. (*i*) In Lycophr.

. . . . . . *sola contenta Diana*
Aeternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit.

Et Arethusa de se apud Ovidium:

Quaque aliae gaudere solent, ego rustica dote
Corporis erubui, crimenque placere putavi (*a*).

Digna Christiana virgine vox. Sed habet & praeclara Naumachius apud Stobaeum de laudibus virginitatis, & Aelianus Variar. Histor. lib. 13. cap. 1. Nos totam hujus generis orationem concludemus gravissima illa, atque pulcherrima Rhodigini sententia: *pudicitiae honorem praebuit eum Romana majestas, ut omnis dignitatis gradus virginibus de via decedere consuesset* (*b*). Quem locum exscripsit Hieronymus adversus Jovinianum his verbis: *& omnis dignitatis gradus eis de via cedere solitus sit* (*c*).

XXII. Magnifica igitur, & egregia fecerunt profani etiam populi, & scriptores de virginitate judicia; quo magis vituperanda est Barbeyraci imprudentia, tantae virtutis gloriam conantis deprimere, clamantisque multis in locis, Majores nostros finem, modumque in persequendis ejus laudibus transiisse. Neque vero, ut sine caussa suspicatur (*d*), opinio illa Gentilium fuit, quae in Patrum animos quasi influxerit, sed virginitatis ut amplitudinem, praestantiamque defenderent, moverunt illos divina oracula, vetus traditio, atque argumenta certissima ex rationis lumine repetita (§. XX.), quibus de argumentis cum mirabiliter noster hic sileat (refellere enim non potuit), ecquid est, cur ejus nugas consecter? Erunt semidocti fortasse, qui lectionem ferre non soliti, & de Heterodoxorum libris nimis ample sentientes secum reputent, de Barbeyraco liberius me, & acerbius, quam aequitas postulet, scribere. Ego vero ecquod aliud, nisi nugarum, ejus le-

(*a*) Metam. lib. 5. (*b*) Lib. 3. antiq. Lect. cap. 6.
(*c*) Lib. 1. num. 41. edit. Vall. (*d*) Cap. 10. §. 3.

levitatibus nomen imponam, idque hoc potiſſimum loco, equidem non reperio. Nugatur enim ſine dubio, cum Athanaſium vituperat, docentem, Dei Filium in virginibus exemplar vitae Angelicae hominum generi obtuliſſe, conſueſſe Eccleſiam ſacras virgines ſponſas Chriſti appellare, eſſe eas admirationi Gentilibus, & ex hoc vitae inſtituto, quod tantum apud nos floreat, religionis Chriſtianae vim, ac veritatem liquere (*a*).

XXIII. Nam primum illud, quod Athanaſio crimini dat, multis & rationibus, & exemplis uberrime docuit Joannes Chryſoſtomus in aureo de virginitate opuſculo (*b*); quod ſi ſumpſiſſet in manus, nec Athanaſium objurgaſſet, neque interrogaret, quo jure Eccleſia virgines ſuas, perhonorifico ad laudem nomine, divini Filii ſponſas vocaverit. Quid enim, oro, peccavit Athanaſius, ſi litteris prodidit, Chriſtianas virgines Graecis admirationem moviſſe? Omnino, *has Ethnici*, ait, *cum vident*, *ut Templum Veſtae admirantur* (*c*). Numquid autem mentitur? Numquid ſcelus eſt, & flagitium rem quam maxime claram, atque teſtatam narrare? Quod enim Athanaſius, narrat etiam haud raro Chryſoſtomus. Ut ecce initio libri, quem memini, *virginitatis laudem* . . . . . . , inquit, *admirantur*, *ac ſuſpiciunt exteri*; *ſola autem colit Eccleſia Dei*. Et alibi (*d*) *virginitatis flos nullo modo apud Graecos fuit*, *in qua ſemper conceſſerunt nobis primam dignitatem*, *fatentes*, *rem ſupra naturam eſſe*, *& non humanam*. *Ea propter illis omnibus ſummae admirationi fuimus*. Recte igitur ex virginitate Athanaſius firmum rebatur depromi poſſe argumentum, unde Chriſtianae religionis divinitas probaretur. Quamquam non Athanaſius ſolus, ſed Latini paſſim, Graecique Patres arma hinc ſoliti erant expromere ad oppugnandos Gentiles, ejuſque ego argumenti robur, & vim in Diſſertat. de puellarum Monaſteriis (*e*) ſuo in lumine ſecutus Ambroſium collocavi. Legat igitur me, & Ambroſium, quo utor, deprehendetque, nihil adverſus Athanaſium, atque alios facere, quod Gentilium etiam foeminae virginitatem ſervarent.

XXIV.

(*a*) Ibid. (*b*) Tom. 1. edit. Montfaucon. num. 10. 11. & 79.
(*c*) In Apolog. ad Conſtant. num. 33. Tom. 1. edit. Maurin.
(*d*) In Tract. quod Regul. foeminae viris cohabitare non debeant. num. 1. Tom. 1
(*e*) Num. 32. Corol. 3.

XXIV. Sed vide, ut caussa, vide, ut Athanasius mihi, Joannesque Chrysostomus spiritus afferunt. Nego, apud Romanos, Graecos, Barbaros virginitatem floruisse. Eam illi quidem virtutem summo habebant in pretio, erant, qui virginitatis studium prae se ferrent (§. XXI.), qui vero virgines essent, audacter dico, non erant. Videbor mecum pugnare, & superiora convellere (ibid.), sed Barbeyraco videbor, ejusque similibus, qui nec definitionem virginitatis tenent. Miramini? Atqui, si quid tandem virginitas sit, probe intelligatur, neque me inconstantiae, aut levitatis damnabitis, & facile intelligetis, rite Athanasium, atque alios Patres argumentatos fuisse. Quae igitur vere virgo, docent Veteres ex Pauli sententia: *ut sit sancta corpore, & spiritu*. Quibus sane verbis definitam a Paulo virginitatem, merito existimarunt. Auctor epistolarum, quae nuper in Clementis nomine prodierunt; *omnis virgo in Domino, sancta est in corpore, & spiritu* (1). Hieronymus adversus Helvidium: *virginis definitio, sanctam esse corpore, & spiritu* (*a*). Quam ipse definitionem lib. I. adversus Jovinianum sic explicat: *illa virginitas hostia Christi est, cujus nec mentem cogitatio, nec carnem libido maculavit*. Hoc est enim esse vere virginem, sanctam esse corpore, & animo. Scitissime Ambrosius: *non sola carnis virginitas virginem facit, sed etiam mentis integritas* (*b*); & Zeno Veronensis negat, pu-

(1) Epist. I. num. 15. Epistolas duas Syriace, & Latine sub Clementis, Romani Pontificis, nomine Leydae primum edidit anno 1752. Jo. Jacobus Wetstheinius, easque interpres Anonymus iterum, & tertio Gallice, & Latine divulgavit annis 1757. & 1763. Totae agunt de virginitatis natura, praestantia, atque custodia, eique virtuti, allatis etiam exemplis selectissimis, plurimum laudis impertiunt. De quarum epistolarum auctore legi poterunt, praeter Wetstheinium, & Gallum interpretem, tum Acta Eruditorum Lipsiensia ad an. 1756., tum *le Journal des Sçavans* in mense Februario anni 1764., ubi argumenta afferuntur, atque expenduntur, quae producta in utramque partem fuerunt. Sunt enim, quae suadeant, eas epistolas Clementis non esse, sunt, quae suadeant, esse, in primisque Hieronymi auctoritas, qui in priore adversus Jovinianum libro verba de illis faciens, qui coelestis regni gratia matrimonio sponte nuncium remisissent, *ad hos*, inquit, *& Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexit*. Num. 12. edit. Vallars. Hic locus, quidquid doctissimi homines, Constantius, atque Vallarsius opinentur, apte non convenit in epistolas ad Corinthios, omnibus dudum perspectas, & cognitas; quadrat autem mirifice in epistolas a Wetstheinio editas, atque adeo grave omnino mihi videtur suppeditare argumentum, cur illas Clementi Pontifici, tanquam auctori, assignemus. Sed incidimus in difficilem nodum, si librum de Viris illustribus consulamus. Ibi enim Hieronymus de Clemente data opera loquitur, & tamen duas tantum ad Corinthios epistolas memorat.

(*a*) Prope fin. (*b*) Lib. de Virginitate cap. 3. num. 13. edit. Maur.

pudicitiae *gloriam fructuosam in Gentibus*, *vel veram esse posse* (*a*): rationemque hanc profert vetustissimus auctor libri *de vera virginitate* inter Basilii opera, quod virginitas praecipue in animo sita est (*b*). Ad eam definitionem virginitatis regulas suas Cyprianus accomodat de disciplina, & habitu virginum, ex illaque Joannes Chrysostomus sub initium libri de Virginitate recte concludit, nullas apud Haereticos veras virgines inveniri. Ut enim illorum foeminae salvo, atque integro corpore esse videantur, tamen animo sunt eae polluto, atque contaminato. Non igitur, auctore Chrysostomo, verae illae virgines. Multa sunt, quae patefaciunt, exteros populos a vera virginitatis laude absfuisse. Ea collegerunt Ballerinii in notis ad superiorem Zenonis locum, quos operae pretium erit consulere. Divina illa est Augustini sententia: *non patit virgines sacras*, *nisi virgo sacra*, *illa*, *quae desponsata est uni viro casta exhiberi Christo*. *Ex illa*, *non tota corpore*, *sed tota virgine spiritu*, *nascuntur sanctae virgines & corpore*, *& spiritu* (*c*). Atque hinc virginitas, ut de reliquis nunc Patribus taceam, idoneum aeque, atque martyrium, verae apud nos religionis argumentum videbatur sancto Antonio, viro sapientissimo, adversus Philosophos Graecos. Ejus verba Politus noster exscripsit (*d*).

XXV. Sed ecce jam alias Barbeyraci nugas, alias ineptias. Ut enim ostendat, nimios fuisse Patres in virginali pietate extollenda, falsisque eam laudibus cumulasse, pungit Athenagoram (*e*), quod virginitatem dixerit, arctius conjungere homines Deo; Origenem (*f*), qui Christi de Eunuchis verba tam abs re intellexit, ut Eunuchum & ipse se fecerit; Justinum (*g*), qui consilium juvenis, idem facinus molientis, non improbat; Ambrosium (*h*), qui & commentitia Theclae acta suscepit, ut hinc novum ad virginitatem laudandam argumentum arriperet; Hieronymum (*i*), qui coelibes dictos vult, *quod coelo digni sint*, *qui coitu careant*. Mira est autem in his rebus

(*a*) Lib. 1. Tract. 4. num. 1. (*b*) Num. 2. tom. 3. oper. S.
(*c*) De sancta Virginit. Tom. 6. edit. Maurin.
(*d*) In Martyrol. Rom. ad 1. Januar. diem pag. 26. (*e*) Cap. 4. §. 7.
(*f*) Cap. 7. §. 20. (*g*) Cap. 2. §. 6. (*h*) Cap. 13. §. 3.
(*i*) Cap. 15. §. 31.

rebus exaggerandis illius loquacitas. Sed loquacitas ista desperatae est caussae luculentissima significatio. Nam cum multa, ac magna & Origenes, & Ambrosius, & Hieronymus argumenta de virginitatis praestantia, excellentiaque congesserint, quae sunt vel pueris notissima, de his tamen perpetuo silet, sic, ut plane elinguis homo alias eloquentissimus videatur. Superiores igitur multis partibus caussa sumus, etsi concederem, in superioribus locis aliquid fuisse peccatum a Patribus.

XXVI. Sed sua est etiam peccati excusatio. Origenes naturam sibi amputavit: sed amputavit valde juvenis, nondum natus annos viginti duos, neque ea solum de caussa, quam Barbeyracus exponit, quod scilicet Christi verba per summum errorem absurde intelligeret, sed, ut fideliter narrat Eusebius, *partim ut servatoris nostri verba adimpleret, partim ut omnem obscoeni rumoris, & calumniae occasionem Infidelibus adimeret* (*a*): id, quod multum valet ad facinus minuendum. Jamque responderat Ceillierius (*b*) Origenem postea erratum illud suum improbasse, & aliter, quam fecerat, docuisse. Quid ergo attinebat tam loquaciter iterum litigare? Quid similiter Justinum tam male verbis accipere, qui demonstraturus, nostros homines clam, & occulte non misceri cum foeminis, meminit ejus adolescentis, qui Felicem Alexandriae Praefectum rogaverat, *ut Medico licentiam daret testes ipsi resecandi* (*c*)? Factum vir sanctus commemorat, ut argumentum innocentiae Christianorum, rem ipsam legi divinae consentaneam esse non dicit. Adolescentem laudat, qui dejectus spe perpetuam virginitatem coluerit, minime vero, quod audax illud consilium iniisset. At saltem improbare debuerat. Inepte. Nihil id enim ad Justini institutum. Nam apologiam scribebat, non disputationem de moribus. Locum Barbeyracus legat, nec obloquetur. Fallit autem, cum ait, Ambrosium Theclae acta approbasse. Multa ille de Thecla narrat (*d*), acta non nominat. Quae licet commentitia sint, ut recte tamen Tillemontius (*e*) judicat, Natalisque Alexander, non sequitur, adnumeranda esse fabulis, quae Ambrosius, multique Veterum de spectatissima vir-

(*a*) Lib. 6. cap. 8. edit. Vales. (*b*) In fine cap. 4.
(*c*) Apol. 1. num. 29. edit. Maur. (*d*) De Virginibus lib. 2. cap. 3.
(*e*) Memoires &c. Tom. 2. par. 1.

virgine scripserunt, cum ex fidelium Christi sermonibus cognoscere illa potuerint. O belle. Acta Laurentii Martyris, quae circumferuntur, vitiose se habent. Ergo fabulam olent, quae Prudentius, quae Ambrosius, quae Augustinus, quae caeteri litterarum monumentis de Laurentio consignarunt? Rideret Ruinartius (*a*). Mitto nunc Theclae historiam, ex Barociano codice ab Ernesto Grabio (*b*) editam, quam utrum Barbeyracus noverit, nescio. Legatur: pervetusta quippe est; consulanturque praeterea Mansii, nunc Lucensium merito magno suo Archiepiscopi, priores, posterioresque notae ad Natalem (*c*).

XXVII. His de Thecla expositis, e vestigio mordet iterum Barbeyracus Ambrosium, qui in libro de Viduis adversus leges Juliam, Papiam, & Poppaeam calamum acuit. Potuisset Ambrosio comitem Tertullianum dare. Affirmat autem, nihil esse in his legibus, quod homines coelibatus, aut virginitatis studiosos possit offendere, avaritiam sacerdotum exaggerat, nosque omnes maledictis proscindit. De his magnam homini gratiam habemus; de lege vero Papia, & Poppaea quoniam ego permulta scripsi in longiore quadam nota, apposita ad §. 14. Dissert. de Puellarum Monasteriis, hinc unusquisque perspicere poterit, jure ne, an injuria Tertullianus, Ambrosius, & alii legem ejusmodi reprehenderint. Ut excusare Augustum possemus, qui post Julias rogationes, legem Papiam, Poppaeam sanxit, qua ratione expiabimus Imperatores caeteros, qui, adulta jam, ac florente Christiana republica, legem non sustulerunt de medio, aut saltem non molliendam putarunt? De cujus aequitate, & vi ut melius loqui posset, duo animadvertere Barbeyracus debuerat, primo quidem poenas constitutas in coelibes, orbos, disparatos, ac viduos, tum duplicis generis praemia, maritis, patribusque proposita. Quoniam vero ad Heineccium nos mittit, ut caussam cognoscamus, cur Augustus superiorem legem tulerit, sciat, ab Heineccio admonitum (*d*), Augustum eo spectasse

E cum-

(*a*) V. Acta Martyr. sincera hic pag. 162. edit. Veron.
(*b*) In Spicileg. PP. Tom. 1. saec. 1.
(*c*) In Sinopsi saec. 1. cap. 12. art. 4. Ferrariae 1758.
(*d*) Praefat. in Commentar. ad Legem Juliam &c. pag. 11. & 13. Oper. Tom. 7. edit. Genev.

cumprimis, ut locupletaret aerarium. Si Barbeyracum praeterea audis, praestabat fortasse, ut ne Constantinus abrogaret legem, quae fraenis veluti quibusdam continebat homines, ne in maxima impudicitiae scelera, & flagitia laberentur. Hoc, si quid intelligo, eam vim habet, ut credamus, longe melius Augustum, Romanosque alios Imperatores probitati, ac moribus prospexisse, quam Dei Filium, qui virginitatem consuluit. Haec videlicet est correctio disciplinae Veterum, & emendatio.

XXVIII. Post Origenem, Justinum, & Ambrosium expiandi restarent Hieronymus, atque Athenagoras. Excusare igitur possem Hieronymum, qui adversus Jovinianum praeteriens scribit, coelibes traxisse nomen a coelo (*a*). Sed nolo imitari Barbeyracum, qui de re levissima tribus paginis disputavit. Mihi tam otiosum esse non licet. Quod autem Athenagorae dictum, *multos apud nos reperiri tum viros, tum mulieres, qui coelibes consenescant, spe arctius, se cum Deo conjunctum iri* (*b*), id ille a Paulo didicerat, quo teste, *mulier innupta, & virgo cogitat, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu*; atque adeo propius accedit ad Deum, quam *nupta, quae cogitat, quae sunt Mundi, quomodo placeat viro* (*c*). Propterea, ut idem Paulus mox adiicit, *& qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit, melius facit*. Quae verba Barbeyracum, ejusque in errore socios ad incitas redigunt. Sed ego illa attuli, ut elegantem, singularemque Gaudentii, Brixiensis Antistitis, interpretationem producerem; quae plerisque saltem eo gratior accidet, quo magis nova videbitur. Homo ergo sanctissimus, proposito Pauli loco, sic disserit. *Quod ego arbitror non parentibus virginum fuisse a beato Apostolo dictum, quos constat alienae voluntatis arbitrio dominari non posse; sed unicuique homini, tam viro, quam foeminae, optionem fuisse ab eodem Sancto propositam, ut virginem suam* [*hoc est carnem suam virginem natam*] *aut integritati conservet, meliorem partem, liberamque eligens, aut agnita conditione, nuptui eam, si se non continet, tradat* (*d*).

XXIX.

(*a*) Lib. 2. prope fin. (*b*) Legat. pro Christ. num. 33. apud Just. edit. Maur.
(*c*) Epist. 1. ad Cor. cap. 7. ver. 34.
(*d*) De Lect. Evangel. tract. 1. ordine 8. edit. Brixiens.

XXIX. Redeo ad Athenagoram, ac tertium Veterum crimen expendo. Athenagoram enim una cum Alexandrino Clemente rodit Barbeyracus, & vellicat (*a*), quod nolint, virum cum uxore gravida commifceri. Patrocinium igitur voluptatis arripuit. Verum praeter illos, Ambrofius etiam, Hieronymus, Auguftinus, Chryfoftomus, fimiles concubitum hunc non omni vacare culpa fapientiffime docuerunt. Quippe cum matrimonium inftituerit Deus ad liberos fufcipiendos, nefas fane eft uxore uti, cui graviditatem attuleris. Quod fi nihilominus utaris, tunc animus libidini obfequitur, quae cum voluptas immoderata fit, rationifque lumen obtundat, neque honefta effe poteft, neque Deum auctorem habet. Veriffime igitur, non falfo illud pofuit Clemens nofter: *fola enim voluptas, fi quis ea etiam utatur in conjugio, eft praeter leges, & injufta, & a ratione aliena* (*b*); meritoque Innocentius Pontifex, eo nomine undecimus, enunciationem iftam, ordine nonam, confixit: *opus conjugii ob folam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali*. Neque enim ad voluptatem, qua nulla peftis capitalior, fed ad officium, ad honeftatem natura nos genuit. Perfancte, atque ad rem Genuenfis meus, praeftantiffimus, ornatiffimufque Philofophus: *quod autem ajunt quidam, & Veneris ufum nuptiarum effe finem, non poffum probare: impetum enim Veneris, velut inftrumentum procreationis, nobis natura indidit, ut medium fit potius nuptiarum, quam finis* (*c*). Ad haec Athenagoras ita differuit: *unufquifque noftrum uxorem fuam ..... uxorem exiftimat ufque ad liberorum procreationem. Quemadmodum enim agricola, jactis in terram feminibus, meffem exfpectat, nec alia fuperiniicit; fic nobis cupiditatis modus procreatio liberorum* (*d*). Quae fimilitudo & apprime ad controverfiam convenit, & a Clemente etiam adhibetur (*e*), quod Barbeyracus non vidit, nec idem illam enervat. Mitto alia, quae Clemens protulit ad cauffam, quam habemus in manibus, explicandam, ut effet omni ratione protectior. Novum enim mihi ipfe adverfarius argumentum fuppe-

 ditat

(*a*) Cap. 4. §. 33. 34. 35., & in notis.
(*b*) Paedag. lib. 2. cap. 10. pag. 225. edit. Potteri. Venet.
(*c*) Metaph. Elem. par. 4. lib. 2. cap. 13. §. 6. edit. 1763.
(*d*) Loc. cit. (*e*) Init. cap. 10.

ditat, ab exempli & sanctimonia, & antiquitate arcessitum. Nam, Josepho teste, erant de Essenis, qui a praegnante uxore abstinerent, planum ut facerent, se liberorum, non voluptatis caussa, nupsisse (*a*). Idem igitur, ac Patres nostri, de matrimonio statuebant: qui, si in illam sententiam Essenorum fortasse moribus, & opinione incitati ingressi essent, non utique a vero aberrassent, sed docuissent id, quod vel ipsa natura ingenuit bestiis rationis expertibus. Ut enim admonitum Plinio, *praeter mulierem, pauca animalia coitum novere gravida*.

XXX. Post haec non video, quid adversarius quaerat amplius. Si tamen nondum convictum se putat dicacitatis in Patres, & contumeliae, Poetam veterem audiat, & erubescat.

Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis
Servit, finem horum transiliisse nocet.

Sed quid ego Poetas commemoro? Audiat philosophorum olim Deum, Platonem (*b*), audiat Ocellum Lucanum (*c*), & ex his sine dubio accipiet, matrimonio solius voluptatis caussa utendum non esse, sed ad liberos procreandos. Praeclare Architas Tarentinus apud Tullium, *libidine dominante, temperantiae locum non esse* dicebat, *neque omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere*, quod ea *omne animi lumen extingueret* (*d*). Dominatur autem libido, & voluptas regnat, cum viri uxoribus, filium in alvo continentibus, abutuntur: aequissime igitur Clemens Alexandrinus, & alii vetuerunt cum gravida uxore concumbere. Qui vero intelligi debeat, quod Clemens addidit, *etiam Mosem abducere viros a praegnantibus* (*e*), explanavit multo ante Gentianus Hervetus in notis, quas consules (*f*). Nos enim acta non agimus.

XXXI. Hanc ob caussam ne verbum quidem faciam de castimoniae lege, ordini sacerdotum imposita, adversus quam furiosus ille bacchatur magis, quam disputat (*g*). Legem enim san-

(*a*) Apud Barbeyr. cap. 4. §. 33. in not. (*b*) Lib. 8. de Leg. pag. 839. ed. Henr. Steph.
(*c*) De Universo cap. 4. (*d*) De Senect. num. 12. edit. Oliveti.
(*e*) Ibid. pag. 225. (*f*) Pag. 77. ad calcem Tom. 2.
(*g*) Cap. 8. §. 27. & seqq. & cap. 15. nota ad §. 18.

ſanctiſſimam eſſe, atque honeſtiſſimam, Apoſtolicaeque Eccleſiae uſu, ac diſciplina firmatam, ſexcenties demonſtravimus. Nequitia vero hominum, & libido, legem violantium, hujus aequitati, ſanctitatique non derogat, ſed potius legis ſanctitas hinc elucet, quod ſacros Deo homines a voluptatibus avocet, intemperantiamque coerceat. Itaque hac ipſa caſtimoniae lege ſacerdotes etiam ſuos, & Flamines teneri, profanae olim nationes voluerunt, probe videlicet, natura una duce, intelligentes, caſte Divos eſſe adeundos, ideſt nihil magis Diis placere poſſe, quam homines ab omni venerea voluptate alienos. Hinc ſaepiſſime tum viri, tum foeminae poſt adeptum Sacerdotium coelibes, ut narrat non modo Hieronymus (infra §. XXXIX.), ſed etiam Tertullianus, quo auctore, *Cereris Sacerdotes, viventibus etiam viris, & conſentientibus, amica ſeparatione viduantur* (*a*). Atque eo referri poteſt elegans, & vetus inſcriptio, nuper a viro ornatiſſimo, Paulo M. Paciaudio, Parmenſis Bibliothecae Praefecto, explicata, quaeque a nobis latine tantum producitur:

Flavianam . Eutychen
Pithodori . Glau-
ci . (Filiam) *Uxorem . Bionis*
Ariſtomantidis
Summo . Sacerdotio . functam . Auguſtae
Senatus . & . populus . Palenſi-
um . (ſtatua honorat) *ob . nobilitatem*
Vitamque . pudicam . Decreto . Senatus

Putat enim vir doctus, cujus nos amicitia jamdiu gloriamur, foeminae huic, quam Flavianam Eutychen appellat, publico S. C. ſtatuam decretam eſſe, quod Sacerdotio aucta caelibem vitam traduxerit (*b*).

XXXII. Quid jam loquar de Monaſticae vitae genere, a Patribus collaudato, cujus nonnullas leges, atque inſtituta, a Baſilio praeſcripta, irridet potius Barbeyracus, ut ſolet, quam ar-

(*a*) De Monogam. cap. 17.
(*b*) Monumenta Pelopon. Volum. 1. §. 5. pag. 95.

argumentis exagitat (*a*)? Unius Chryfoftomi libri tres *adverfus oppugnatores vitae Monafticae* (*b*), ut recentes mittam Theologos, Heterodoxorum omnium criminationibus in perpetuum fatisfacient. Clamet igitur, quanta maxima voce poteft, virginitatis, aut caftimoniae votum fufcipi magis apud noftros, quam praeftari: nos, etfi atrociffimis Laceffiti injuriis, filebimus, contenti eum ad Bellarminum, Liberium, aliofque fcriptores reiicere, & in his nominatim ad Zachariam a S. Elifabetha, de Scholarum Piarum Familia, qui hanc controverfiam de facris virorum, foeminarumque fodalitatibus ante annos pauciffimos uberrime pertractavit (*c*). Quod fi latrare nihilominus pergat, perpauca ego illa ad occludendam linguam ex Cryfoftomo feligam. *Verum in illa quoque re plures videmus conjugatorum*, de Heterodoxis praefertim, *cadere*, *quam Monachorum. Neque enim tot ex Monafteriis ad nuptias*, aut ad libidinis domicilia *tranfeunt*, *quot ex conjugali thoro ad fcorta* (*d*); cum libido, vel Ciceronis judicio, facile fe proripiat, atque proiiciat aut occultatione propofita, aut impunitate, aut licentia (*e*). Addam & illud breviffime, fi funt de facris Virginibus, quae interdum aliis violandas fe dant, non ideo Ecclefiam Chrifti, quae fancta eft, non plurimas etiam habere virgines fanctas, atque integerrimas, in quibus, ut eleganter Cyprianus loquitur, *largiter floret Ecclefiae matris gloriofa foecunditas* (*f*).

XXXIII. Quanquam, ut verecunde dicam, quod fentio, pudet me Barbeyraci, qui tam pueriliter difputet. Tota enim illius argumentatio, late diffipata, & diffufa, huc, fi quid video, recidit, facri Deo homines, five Monachi a fummo illo, quod profitentur, fanctitatis ftudio defciverunt, quin potius foediffimis & ipfi vitiis inquinantur: collaudant autem Patres vitae Monafticae rationem; abfurde igitur faciunt; inepti ergo funt humanorum officiorum interpretes. Tu vero divine prorfus. Nam fi difputator adeo argutus es, cur & Veteres non objurgas, quod Chriftianam religionem laudaverint?

Quam

(*a*) Cap. 11. §. 20. (*b*) Tom. 1. edit. Maurin.
(*c*) Quaefita Theolog. Polemica part. 1. quaeft. 3. & 5. Oppaviae 1739.
(*d*) Ibid. lib. 3. num. 14. (*e*) De Fin. lib. 2. cap. 22.
(*f*) De difcipl. & hab. Virginum.

Quam longe enim à Christi praeceptis discessimus? Quam longe aberravimus a prima illa Apostolica Ecclesia, cum sanctissime plerique omnes vivebant, complectentes se se charitate mirabili? In omni igitur, optimo etiam, vitae genere suae sunt labes, & maculae, ubique, ut tritum est vetustate proverbium, *sunt bona mixta malis*, sic profecto, ut Deus ipse reperire in Angelis suis pravitatem dicatur. Verum si de Monachis sunt, quorum vita parum personae respondeat, culpa in homines conferenda, non ipsa Monasticae vitae vis, ratioque debet coargui. Dic enim, sodes, Barbeyrace; ecquid demum monstri est *Monachismus*, seu *status religiosus*, quem vocant? Videlicet status hominum Deo sacrorum, per paupertatis, obedientiae, & castitatis vota, veluti quibusdam gradibus, atque praesidiis, ad Christianae virtutis perfectionem nitentium. Nisi vero ad eximiam, summamque virtutem, an flagitiosus est, ac detestabilis vitae status? An propterea delirarunt Patres, qui hoc vitae genus, atque hanc vitae rationem laudarunt? Quasi vero Monachos suos, qui licentius, ac liberius viverent, non Chrysostomus, non Basilius, non Augustinus, non Hieronymus, non alii satis dure, ac severe objurgaverint.

XXXIV. Caeterum quid dici ab adversario potest obtusius, quam hoc, divini Praeceptoris consilia nulla esse? Et dicit tamen, idque saepissime, etiam cum Grotium deformat magis, quam corrigit (*a*). Quippe secutus Clericum (*b*), cujus sophismata arripuit, scribere non veretur, distinctionem inter praecepta, & consilia, approbatam a Patribus, planum apertissime facere, malos illos esse tum Criticos, tum sacrarum litterarum interpretes induxisse enim consilia, quod falso, absurdeque intellexerint caput septimum prioris Pauli epistolae ad Corinthios, ubi de matrimonio, & virginitate disseritur (*c*). Quasi vero consilii vim non haberent & haec Christi verba: *sunt Eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat* (*d*), tum illa: *si vis perfectus*

(*a*) In not. Gallicis ad § 9. cap. 2. libr. 1. Grot. de J. B. & P., & alibi.
(*b*) Animadverſ. in libr. S. Augustini de S. Virginit.
(*c*) Cap. 8. §. 10. 11.
(*d*) Matth. cap. 19. ver. 13.

fectus esse, vade, vende, quae habes, & da pauperibus...., & veni, sequere me (*a*); alia etiam, quae pervulgata sunt apud omnes. Sed egregia, & palmaris est ratio, qua permotus affirmat cum Clerico, pessime Veteres partem illam Paulinae epistolae interpretatos fuisse. Attendite. Christiani tunc temporis religionis caussa saepe, & varie vexabantur. Corinthii ergo quaesierunt a Paulo, expediret ne in his malis, & terroribus nubere, an vero satius esset a matrimonio temperare. Quaestioni respondet Paulus, expedire ipsis in hoc rerum statu non nubere. Atque hoc modo intelligi debet primus ille versiculus: *de quibus autem scripsistis mihi : bonum est homini mulierem non tangere*. Neque enim id ad omnes prorsus homines pertinet, sed ad Corinthios dumtaxat, qui propter religionem non solum multa incommoda perferebant in praesens, sed futura, atque impendentia metuebant. Quod aperte ipse Paulus docet, cum addit ver 26., & 28. *existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem* [*a cause des afflictions présentes*], *quoniam bonum est homini sic esse.. .. Si autem accepisti uxorem, non peccasti. Et, si nupserit virgo, non peccavit; tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco*. Necessitatis vox etsi plura significet, hic tamen ex tota orationis serie referri ad vexationes debet, quae Corinthiis Evangelii caussa impendebant; atque his tantummodo datum consilium est de non ineundo matrimonio (*b*).

XXXV. Sic ille; cujus tam contorta interpretatio videtur esse, ut nihil magis. Principio autem nego, Corinthios idcirco sciscitatos fuisse Pauli sententiam, quod propter religionem, cui nomen dederant, in multis versarentur angoribus. Ubi enim toto capite septimo caussae ejus, atque incitamenti vestigium? Quas assignare Barbeyracus potest calamitates, atque molestias, quae tunc temporis propter religionem a Corinthiis perferrentur? Vocabulo enim ἐνεστῶσαν, *propter instantem necessitatem*, rem Paulus praesentem, non futuram significat. Multo igitur verisimilius est, quod Hieronymus indicavit (*c*), quaesivisse a Paulo Corinthios, expediret ne inire nu-

(*a*) Ibid. ver. 21. (*b*) Ibid. §. 10.
(*c*) Lib. 1. adv. Jovin. num. 7. ed. Vallars.

nuptias, an virginitatem ſervare, ideo quia virginitatis ſtudium magnae cujuſdam eſſe, cumulataeque virtutis didicerant, magiſque ad illos accomodatum putabant, qui ad religionem Chriſti ſe contuliſſent. Quaeſtionem de ducenda uxore Gentiles ſaepe ipſi, Grotio teſte (*a*), tractaverant, & in his nominatim Metellus Numidicus in oratione ad populum habita, *ſi ſine uxore poſſemus, Quirites, eſſe, omnes*, inquit, *ea moleſtia careremus; ſed quoniam ita natura tradidit, ut nec cum illis ſatis commode, nec ſine illis ullo modo vivi poſſit, ſaluti perpetuae potius, quam brevi voluptati conſulendum*. Quo magis credibile ſit, Corinthios, ſanctiorem jam philoſophiam complexos, & privatim diſputaſſe inter ſe, & deinde per Fortunatum, Stephanum, & Achaicum quaerendum a Paulo duxiſſe, praeſtaret ne uxorem ducere, an vel ductam dimittere, vel virginitatem ſervare: Quod ſi multo eſt ad veritatem propenſius, quam Barbeyriciana illa ratio, adhibita jam ab homine machina concidit, & ſtatim relinquitur, Paulinum de Virginitate conſilium non Corinthiis dumtaxat allatum fuiſſe, ſed poſteris, quocumque demum loco, & tempore futuri eſſent.

XXXVI. Et ſane generatim ait Paulus, *bonum eſt homini mulierem non tangere*; quemadmodum generatim Apoſtoli dixerant, *ſi ita eſt cauſſa hominis cum uxore, non expedit nubere* (*b*). Generatim inquit ver. 8. *dico autem non nuptis, & viduis; bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego*. Generatim ver 26. *exiſtimo ergo, hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, quoniam bonum eſt homini ſic eſſe*. Generatim ver. 38. *qui non jungit* (matrimonio virginem ſuam) *melius facit*. Idque & ipſa docet ſuperiorum locorum ſententia, & vox homo, quae omnem hominum univerſitatem ſignificat. Sed piget propemodum me in refellendis tam perſpicuis nugis diutius morari. Quid enim? Quae toto capite Paulus de ineundo matrimonio, de ejus uſu, & vinculo, de viduis rurſus nubentibus diſſerit, pertinent ad Chriſtianos quoſcumque: virginitatis autem conſilium, quod eſt initio, & locis intermediis, & uno orationis tenore dat, ad Chriſtianos dumtaxat ejus aetatis pertinebit? Apage ineptias. Cum ergo profitetur

F Pau-

(*a*) Comment. in hunc loc. (*b*) Matth. cap. 19. ver. 10.

Paulus, exiſtimare ſe optimum factu eſſe, ſi homo in virginitate permaneat *propter inſtantem neceſſitatem*, neceſſitatis verbum trahi non debet ad ſignificandas moleſtias, quae religionis cauſſa Corinthiis imminebant, ut repugnante natura Barbeyracus facit, ſed moleſtias vitae hujus deſignat, & matrimonii incommoda (quae *carnis tribulatio* infra appellantur), tum imminentem unicuique neceſſitatem exeundi e vita, quemadmodum longe rectius plerique Patres exponunt. Ex brevitate igitur vitae occaſionem Paulus arripuit dehortandi Corinthios, caeteroſque a matrimonio: quod apertius liquet ex eo, quod poſtea addidit, *tempus breve eſt*, *praeterit enim figura hujus Mundi*; quae ſine dubio ad brevitatem vitae referuntur. Fruſtra ergo adverſarius ſuper verbis, *tempus breve eſt*, cum Ceillierio litigavit.

XXXVII. Sequitur, ut de bimaritis dicamus, quos, ut notum eſt, ſemper Eccleſia a Sacerdotio arcuit, jubente Paulo in prima ad Timotheum epiſtola, Diaconum, & Epiſcopum *unius uxoris virum eſſe* (*a*). Loci hujus vim, ſi novo interpreti credimus, nunquam Eccleſia intellexit. Neque enim Paulus initiari ſacris vetat eum, qui, uxore mortua, duxiſſet aliam, ſed cui duplex una uxor eſſet. Quae cum, nulla allata ratione, tanquam de tribunali dixiſſet, Patres, ut ſolet, contumeliis onerat (*b*). Ubi ego praeter inſignem impudentiam (abſit verbo iracundia) inſcitiam miror, & divinae legis, quae apud Hebraeos fuit, contemptum. Noſſe enim homo eruditus debuerat, nonnullos Patres unum, atque idem cum ipſo ſenſiſſe, loqui videlicet Paulum de viris, qui duabus ſimul uxoribus potirentur. Docuit id apud Calmetium (*c*) Theodoretus, eamque interpretationem, etſi contentioſam vocet, ponit in medio tamen Hieronymus epiſt 69. ad Oceanum, abſolvitque in haec verba: *praecepit*, *ne Sacerdotes noſtri bina pariter*, *& trina conjugia ſortiantur*; *ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant* (*d*). Vera tamen Pauli ſententia illa eſt, neminem initiandum ſacris, qui duplicem, diverſo licet tempore, uxorem habuerit; unde interpres Syrus ſic vertit: *qui fue-*

(*a*) Cap. 3. ver. 2. & 12., & ad Titum cap. 1. ver. 6.
(*b*) Cap. 4. §. 22. & 23. (*c*) In loc. citat. ad Timoth.
(*d*) Num. 5. edit. Vallarſ.

fuerit unius uxoris vir. Homines enim, qui, dimissa uxore, alias nuptias iniissent, jam Christus palam damnaverat: quare nullo monitore intelligebat Timotheus, viros ejusmodi, qui duas simul uxores haberent, Sacerdotio indignos esse. Ut Paulus Episcopum *irreprehensibilem* esse vult.... *sobrium*, *prudentem*, *ornatum*, *pudicum*, *hospitalem*, *doctorem*, idest, ut multas in illo, maximasque virtutes requirit, sic *unius uxoris virum* cum esse jubet, eum profecto intelligit, qui non obscura, neque vulgaria continentiae signa dederit, nimirum qui uno contentus fuerit matrimonio: praesertim cum id ipsa officii sanctitas, atque religio postularet. Fuit haec autem Ecclesiae, atque omnium fere Patrum sententia, ad quam fulciendam Tertullianus, Pontificesque Siricius (*a*), & Innocentius, tanquam ex Levitico protulerunt hunc locum: *Sacerdotes mei semel nubant* (*b*).

XXXVIII. Illa solum esse quaestio poterat, bimaritum ne Paulus intelligat eum dumtaxat, qui post Baptismum duas distinctis, dispertitisque temporibus uxores habuerit, an illum etiam, qui ante Baptismum, vel unam ante, aliam post duxerit. Priorem sententiam in superiore epistola adamavit Hieronymus, complectitur Beveregius (*c*), monetque Calmetius, *vulgatiorem* esse, *& quam omnes ferme Patres*, *atque Interpretes sequantur* (*d*). Sed ea Calmetius in re, ut etiam aliis in locis, corrigendus, atque emendandus. Contra enim statuit Tertullianus de Monogamia cap. 7., Valentinorum Patrum Concilium anno 374. can. 1., tum Ambrosius (*e*), Augustinus (*f*), Innocentius (*g*), Leo Magnus (*h*), & alii, quorum doctrina summo Ecclesiae consensu firmata est. Ruffinus etiam Hieronymi opinionem rejecit (*i*). Instar omnium erit Valentinum Concilium. *Sedit igitur*, *neminem post hanc synodum*, *qua ejusmodi illicitis vel sero succurritur*, *de digamis*, *aut internuptarum maritis ordinari Clericum posse*. *Nec requirendum*, *utrum ne intiati sacramentis divinis*, *ante gentiles hac*

(*a*) Epist. 1. ad Himer. num. 12. edit. Constant.
(*b*) Ex cap. 21. ver. 13. (*c*) In 17. Can. Apostol.
(*d*) Ibid. (*e*) Lib. 1. Offic. cap. 50. num. 2., & epist. 63. ad Vercell. n. 65.
(*f*) De bono conjugali cap. 18., & alibi.
(*g*) Epist. 2. ad Victricium num. 9. (*h*) Epist. 87. cap. 1. edit. Veter.
(*i*) V. Hieron. in fine lib. 1. advers. Ruffinum.

ſe infelicis ſortis neceſſitate maculaverint, cum divini praecepti caſta ſit forma. Nihil autem ad rem, quod ait Barbeyracus (*a*), Paulum ſecundas nuptias poſt mortem alterutrius conjugis Chriſti fidelibus permiſiſſe (*b*). Laicis enim permiſit, non ſacris hominibus, & obſtare illas voluit, ne quis ad Sacerdotii honorem obreperet. Caeterum *de Epiſcopo unius uxoris viro* eruditam ſcio exercitationem eſſe in Miſcellaneis ſacris, quae Amſtelodami Walchius anno, ſi recte memini, 1744. in lucem edidit. Eam ego Romae ante quadriennium ſubſultante lectione percurri; ſed quid Walchius doceat, nunc quidem in mentem non venit. Vellem habuiſſe ad manus.

XXXIX. Quidquid tamen ibi diſputet Walchius, eſt certe, ut Pauli lex, ita diſciplina Eccleſiae ſanctitatis, aequitatiſque pleniſſima. Nam, ut miſſas virgines faciam, quae apud profanas nationes Dearum delubris praeficiebantur, ut cognoſci poteſt ex Jo. Frontone (*c*), & M. Tullio (1), narrat Hieronymus, *antequam religio noſtra fulgeret in Mundo, unicubas ſemper habuiſſe inter matronas decus: per illas Fortunae muliebri ſacra fieri ſolitum: nullum Sacerdotem digamum, nullum Flaminem bimaritum: Hierophantas quoque Athenienſium uſque hodie cicutae ſorbitione caſtrari, & poſtquam in Pontificatum fuerint allecti, viros eſſe deſinere* (*d*). Haec bonam partem Hieronymus ex Tertulliano mutuatus fuit, quo auctore, *Fortunae muliebri coronam non imponit, niſi univira, ſicut nec matri Maturae. Pontifex Maximus, & Flaminica nubunt ſemel* (*e*). Diſerte Trebellius Pollio: *quam majores noſtri univiriam Sacerdotem inter ſacratiſſimas foeminas adorarunt* (*f*). His autem ex rebus ſuboriri lux aliqua poterit pulcherrimo loco Siricii, Romani Pontificis, in epiſtola ad Afros Epiſcopos. Ubi cum demonſtraſſet, decere omnino, ne Sacerdotes ſuis uxoribus ute-

(*a*) Cap. 4. §. 22.
(*b*) Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 7. ver. 39. & ad Rom. cap. 7. ver. 3.
(*c*) Differtat. de virginit. honorata &c. ordine 8.
(1) Vid. lib. 4. in Verrem cap. 45. edit. Oliv. Adde Quintilianum, ex cujus pulcherrimo loco intelligimus, ſolis haud raro Virginibus mandata Sacerdotia fuiſſe. Inducit enim Quintilianus patrem, de ſtupro oblato filiae lamentantem his verbis: *perdidi virginitatem filiae meae, & cui modo Sacerdotium ſperabam, difficile inventurus ſum etiam maritum*. Declam. 252.
(*d*) Lib. 1. cont. Jovinian. in fine.
(*e*) De Monog. cap. 17. (*f*) In 30. Tyran. cap. 32.

uterentur, e veſtigio addidit: *qua de re hortor, moneo, rogo, tollatur hoc opprobrium, quod poteſt jure etiam gentilitas accuſare* (*a*). Cur enim accuſare jure poſſet, nunc liquere arbitror (1). Ergo cum apud Graecos, Romanos, atque alios populos tales & viri, & foeminae ſacra conficerent, ac Templis praeſſent, quanto aequius Majores noſtri Paulum ſecuti repulerunt a ſanctiſſimo Sacerdotio homines, qui poſt uxoris obitum ad alias nuptias convolaſſent?

XL. Barbeyracus tamen in hoc argumento non modo imperitum, ſed etiam obtrectandi ſtudio parum, ut leviter dicam, religioſum ſe praebuit. Nam cum adverſus Patres vehementiſſime declamaſſet, totum locum ita concluſit: *ne permiſſum quidem Eccleſiaſticis fuit uxorem ducere viduam, ut apparet ex Chartaginenſi quarto Concilio* (*b*). Quibus ſane verbis cum Eccleſiae velit diſciplinam carpere (neque enim rem hiſtoricorum more narrat), carpit etiam homo doctiſſimus legem ipſam a Deo O. M. conditam, cum de Pontifice ſtatuit in Levitico: *virginem ducet uxorem*; *viduam autem, & repudiatam..... non accipiet* (*c*). Ea enim ex lege Sacerdotii noſtri, quod multo eſt ſanctius, atque excellentius, lex expreſſa eſt, quemadmodum etiam ſignificare videntur Conſtitu-

(*a*) Num. 3. edit. Conſtant.

(1) Locutus multo ante in eamdem cum Siricio ſententiam fuit Tertullianus extremo libro de Monogamia, cujus verba, quoniam Siricii locum illuſtrant, adſcribo. *Sunt & quae de tota continentia judicent nos, virgines Veſtae, & Junonis Achaicae, & Dianae Scythicae, & Apollinis Pythii. Etiam bovis illius Ægyptii Antiſtites de continentia Chriſtianorum infirmitatem judicabunt*. Sed Barbeyracus arripere ſolitus quidquid deſperatam cauſſam quoquomodo juvare poteſt, fortaſſe dixerit, veterem, qua de agimus, diſciplinam ex inſtitutis Gentilium deſumptam eſſe. Primum audacter nego. Sed etſi concederem, in lucro id poni nequit. Neque enim ſuperſtitionem olet, aut parum ſanum eſt, quidquid olim a profanis populis geſtum eſt. Multa ab illis & conſtituta, & tradita, quae nec ſatis laudari, & ignominiae noſtris hominibus eſſe poſſunt. Quo ſine controverſia pertinet diſciplina, ut virgines, vel diſparati Sacerdotes crearentur, Deorumque delubris praeeſſent. Quod ſi quidquid a Gentibus vel conſtitutum, vel profectum fuit, ſuperſtitioſum, turpe, vituperabile putari debet, abſurde igitur Barbeyracus fecit, & ante Barbeyracum Grotius, Puſendorfius, caeteri, qui in explicando jure naturae, & gentium Latinorum, Graecorumque hominum teſtimoniis tota volumina impleverunt.

II. Atque hoc ego ſemel, ſed cogitare tamen, animadvertere volui, occupaturus, quae nobis Barbeyracus fortaſſe aliquis poſſet obiicere. Vides enim, hanc doctrinam patere latiſſime, referrique oportere ad loca omnia, ubi adverſus Barbeyracum profanorum ſcriptorum auctoritatibus utimur, oſtenſuri, Patrum judicia, atque ſententias cum recta ratione penitus concordare.

(*b*) Cap. 4. §. 23. (*c*) Cap. 21. ver. 13. 14.

tutiones, cognomento Apoſtolicae illis verbis: *nulli autem Clerico permittimus ducere aut meretricem, aut ancillam, aut viduam, aut repudiatam, ſicut etiam Lex ait* (*a*). En igitur diſputatorem acrem, atque invictum. En qui, & quantus vir univerſam Patrum auctoritatem in morum doctrina labefactaverit. Pro Deus, rationes inenodabiles!

XLI. I. At enim, exitialis ſaltem eſt, & inhumanitatis plena, quae apud nos inveteravit, opinio de puniendis, ſive, ut loqui ſolent, de perſequendis Haereticis. Ea Barbeyracus de re & cap. 12. adverſus Gregorium Nazianzenum, & 16. adverſus Auguſtinum copioſiſſime verba facit, ſic, ut loci utriuſque diſputatio quadraginta tres paginas compleat. Nullum vero eſt maledictum tam atrox, nulla tam inſignis injuria, qua nobiliſſimos Patres, Auguſtinumque cumprimis, non laceret, ideo quia exiſtimarunt, fas eſſe protervis Haereticis certas poenas infligere, eoſque ad veram religionem compellere. Id ille tantum a legibus abeſſe clamat, ut nihil magis legibus omnibus poſſit eſſe contrarium. Nos vero flagrantem odio, atque ira adverſarium non modo hic non refutandum putamus, ſed ultro, ac libentiſſime confitemur, ſententiam illam de puniendis, vel inſectandis Haereticis (moderatione tamen poenarum adhibita, ſervatiſque charitatis officiis) non Gregorio ſolum, & Auguſtino, ſed aliis Patribus, atque ipſi Eccleſiae placuiſſe. Verum cum haec doctrina in eo rerum genere ponenda ſit, quarum, ut ſupra dixi (§. XVI.), & perſpicua eſt veritas, & infirmari non poteſt, diſputare cum Barbeyraco non debeo, neque controverſiam in medium iterum revocare, quam noſtri ſcriptores ſaepiſſime diremerunt: praeſertim cum ipſe Calvinus, gregaleſque ejus permulti, ut ex publicis formulis conſtat a Ceillierio (*b*) recitatis, Barbeyraco adverſentur. Sic enim, verbi gratia, Scotorum formula art. 24. *Regum, Principum, Gubernatorum, & Magiſtratuum eſſe potiſſimum imprimis religionis purgationem, & conſervationem affirmamus. Adeo ut non tantum propter civilem politiam, ſed etiam propter conſervationem verae religionis, & ut Idololatria, & ſuperſtitio quaevis ſupprimatur, a Deo ſint ordinati. Ut in* Da-

(*a*) Lib. 6. cap. 17. (*b*) Cap. 14. pag. 433. &c.

Davide, Josaphato, Ezechia, & aliis, summis laudibus propter singularem zelum ornatis, est videre. Cui sane argumento, a sanctissimorum regum factis desumpto, neque Barbeyracus (*a*), neque alius quisquam hactenus satisfecit. *Quis* enim, ut sapientissime Augustinus interrogat, *quis mente sobrius regibus dicat, nolite curare in regno vestro, a quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri.... quibus dici non potest, non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim cum datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur* (*b*)?

II. Caussa, cur taceam, etiam illa me permovet, quod hoc loco aliquid Barbeyraci dolori ignoscendum puto, qui negotium gerit suum, ope quoque, & patrocinio Clerici, Petrique Baelii implorato, quibus *Tolerantia* religio est. Sed illud ignoscere nequeo, quod saepe nos mittat ad Clericum, qui acerbissime insectatus est Augustinum, nullam vero neque Thomassini (*c*), neque Bossuetii mentionem faciat, neque, quod prorsus debuit, Muratorii, qui in secundo libro de Ingeniorum moderatione (*d*) multis oppido, & locupletissimis argumentis effecit, ubi alia non prosint remedia, Haereticos, metu poenae proposito, refraenari oportere, idemque omnes prorsus & Clerici, & Barbeyraci ipsius fallacias removit, dispulit, exterminavit. Multo vero minus disputatori acutissimo, & qui nodum in scirpo quaerat, maximarum rerum repugnantiam ignoscere possumus. Secum ipse pugnat tamen, idque apertissime. Nam in Praefatione ad Pufendorfium sua loquens de Augustino, quanta maxima voce potest, denunciat, opinionem de puniendis Haereticis, postquam Ecclesia tranquillitate aliqua frui coepit, communem inter nostros fuisse; Episcopos autem, & illustriores Patres Imperatoribus, ac Magistratibus se praebuisse auctores, ut in Haereticos poenas statuerent, tum vero crudelioribus hisce legibus & vehementer favisse, & cum prolixa gratiarum actione plausus impertivisse mul-

(*a*) Cap. 12. §. 50. & 51.
(*b*) Epist. 185. ad Bonifac. num. 20. edit. Maurin.
(*c*) De Edictis, aliisque rationib. conservandae unitatis in Eccles.
(*d*) A cap. 7. usque ad 14.

multiplices (1). Sed idem capite operis 12. §. 40. affeveranter confirmat, Patres religionis ftudiofiores omnem id genus vexationem verbis perfpicuis improbaffe, praeterque Tertullianum, Cyprianum, Arnobium, atque Lactantium, qui ante partam Ecclefiae pacem fcripferunt, Hilarium in illis numerat, Athanafium, Optatum, Ambrofium, Joannem Chryfoftomum, Sulpicium Severum, Socratem (*a*), Salvianum, Gregorium Magnum, Ifidorum, Toletanum Concilium, Bernardum, & alios, qui certe omnes poft redditam tranquillitatem Ecclefiae floruerunt, plerique etiam inter Patres locum fibi praecipuum vindicant. Nonne eft hoc in re longe graviffima contraria loqui, & repugnantia? Praefertim cum Socrates inducatur fcribens, *non effe morem Orthodoxae Ecclefiae perfecutionem exercere* (*b*). Si enim vexare Haereticos, & coercere non erat moris Ecclefiae, tranquillitate perfruentis (nam de hac una loqui Socrates potuit), qui, oro, tranquilla Ecclefia, communis fuit inter Epifcopos, & Patres opinio, vexandos Haereticos effe, & damno, ac poena coercendos?

III. Praeterea ne illud quidem Barbeyraco ignofcendum, quod Tertullianum in partes fuas, invitum licet, obnitentemque, pertraxerit. Affert illius locum ad Scapulam (*c*): *humani juris, & naturalis poteftatis eft unicuique, quod putaverit, colere, nec alii obeft, aut prodeft alterius religio. Sed nec religionis cogere religionem, quae fponte fufcipi debeat, non vi*. Simile etiam ex Apologetico (*d*) affert teftimonium, fed diffimulatione uti folitus ne commemorat quidem auream Tertulliani fententiam, qui fub Scorpiaci initium cauffam dilucide peroravit his verbis: *ad officium Haereticos compelli, non inlici dignum eft. Duritia vincenda eft, non fuadenda* (*e*). Idque non

(1) Ne Barbeyraco, a quo ego vitio longiffime abhorreo, imponere alicui videar, en illius verba ex Praefatione ad Pufendorfium (pag 58. edit. Londin. an. 1740.) *Les Codes font pleins des Loix pénales contre les fectes differentes de la dominante; & ce font les Conciles, les Evêques, & les plus eminens Docteurs, qui ont ou follicité ces Loix, ou honoré de grands eloges, d' acclamations, de benedictions, & d' action de graces très humbles, les fouverains, qui avoient fait ces Loix*. Componat, quaefo, Barbeyracus, fi poteft, hunc locum cum alio loco, quem affero, fed plane, & fine verborum circuitu loquatur, *& erit mihi magnus* Achilles.

(*a*) Nota 3. ad hunc §. (*b*) Ex cap. 3. lib. 7. Hift. Ecclef.

(*c*) Cap. 2. pag 85. edit. 2. Rigaltii. Lutetiae 1641.

(*d*) Cap. 24. pag. 26. ejufd. edit. (*e*) Cap. 2. pag. 617.

non ſolum enunciat, ſed ad perſuadendum multa producit e divinis litteris teſtimonia. Quare ſuperioribus locis idem ſibi Tertullianus vult, quod vulgo docent Theologi, qui profitentur, Judaeis, atque Gentilibus vim inferendam non eſſe, ut religionem ſuſcipiant, conſtanter tamen, & veriſſime ſtatuunt, Haereticos, cum ſubſint Eccleſiae, ad officium compelli poſſe, tanquam religionis ſuae deſertores, ac transfugas. Huc certe ſpectant illius verba in eodem libro (*a*): *nec putem diſceptandum, an digne Deus..... quos ab errore ſuperſtitionis avulſerit, rurſus in Ægyptum regredi nolit; an digne a ſe non patiatur abſiſtere, quos ſibi adlegit. Ita nec illud exſpectabit, retractari a nobis, an obſervari voluerit diſciplinam, quam voluit inſtituere, & an merito ulciſcatur deſertam, quam voluit obſervatam: quando fruſtra inſtituiſſet, ſi obſervari eam noluiſſet, & fruſtra obſervari voluiſſet, ſi vindicare noluiſſet* (1).

IV. Qua igitur Barbeyracus fronte Tertullianum a ſe eſſe, ſcribere potuit? Qua, ut mittam reliquos, Cyprianum? Quem alienum non fuiſſe a ſententia de reprimendis, atque plectendis Haereticis, vel illud locupleti eſt argumento, quod cum de Exhortatione Martyrii cap. 5. poſuiſſet, Deum in Ve-

G teri

(*a*) Cap. 3. pag. 619

(1) Ex his etiam exploratum eſt, an jure Barbeyracus Gregorium Magnum rideat, qui verberibus cogi Judaeos vetat ad ſuſcipiendum Baptiſmum, poena tamen, & damno Haereticos compelli poſſe arbitratur, ut eo redeant, unde diſceſſerunt. Diſtinctionem ille hanc repugnantiae, & futilitatis accuſat, tum ad Baelium nos ire jubet (Cap. 17. §. 15.). Verum, ut alia taceam, cur Judaeos tolerare poſſimus, illi Eccleſiae ditioni, & poteſtati non ſubſunt, ſubſunt autem Haeretici, ut diximus, quamvis fugerint, ac rebellaverint: Compelli igitur poſſunt, ut redeant, quemadmodum bonus, & attentus cuſtos, objecto metu, oves huc, & illuc vagantes compellit, ut ſe ad gregem recipiant. O belle! Licet regibus punire milites, qui per ignaviam caſtra deſeruerint; non licebit Eccleſiae punire eos, qui fidem ſibi, & Deo datam per ſummam perfidiam violaverint? Praeſertim cum non odio puniat, ſed amore. Deus bone! Fieri potuit, eruditum virum, totum eſſe de ſocietate generis humani ſollicitum, de Eccleſia nihil? Libertati hominum, & voluptatibus tantopere ſtudere, de ſempiterna eorum ſalute numquam cogitare? Civili reipublicae permittere omnia, Eccleſiae auferre? Quamquam ne intelligo quidem, qua is ratione, qui jura ſacrorum, ac poteſtatem ſolis concedit Principibus, eorum poſtea auctoritatem ita enervet, atque debilitet, ut nolit, animadvertere ipſos poſſe in Haereticos, qui a vera religione ad impietatis propugnatores defecerint. Nihilominus identidem ſibi plaudit, & voce maxima gloriatur, plures ſuperiore, & hoc ſaeculo exiſſe libros, qui ſummam rerum, in qua verſabamur, ignorationem detexerint, victoriamque de illis omnibus expletam partibus reportaverint, qui ſentiunt, metu poenae propoſito, poſſe Haereticos ad officium revocari. *La victoire eſt complette: on a triomphé des toutes les ſubtilitez, & des tous les ſubterfuges, que l'eſprit de Perſecution peut imaginer* (cap. 12. §. 63.) Quis dubitet?

teri lege imperasse; ut de Idololatris sumeretur supplicium; Tertullianum imitatur suum, remque omnem eisdem illustrat divinorum librorum oraculis, quibus ille a Scorpiaci initio demonstraverat, Haereticos ad officium compelli posse. Nam Bernardi quidem, & Socratis testimonio palam, ut fere solet, abutitur. Bernardus enim illud quidem rectissime postulat, ut Haeretici doceantur, argumentisque ipsorum errores refutentur, nisi resipiant tamen, aut quiescant, non aliis solum poenis, sed etiam gladio eorum proterviam coercendam existimat. *Quod si* Haereticus, inquit, *reverti noluerit, nec convictus, post primam jam, & secundam admonitionem, (utpote qui omnino subversus est) erit secundum Apostolum devitandus. Ex hoc jam melius, ut quidem ego arbitror, effugatur, aut etiam religatur, quam finitur vineas demoliri* (*a*). Sed multo apertius alibi loquitur, cum factum populi narrat, qui Haereticos pervicaces occiderat. Audite, quaeso. *Irruens in eos populus novos Haereticis suae ipsorum perfidiae Martyres dedit. Approbamus zelum, sed factum non suademus: quia fides suadenda est, non imponenda. Quamquam melius procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non fine caussa gladium portat, quam in suum errorem multos traiicere promittantur. Dei enim minister ille est, vindex in iram ei, qui male agit* (*b*). Quis igitur non indignetur, ausum Barbeyracum esse ad Bernardi sententiam provocare? quis non illis succenseat, qui posteriorem locum partim malitiose, partim imperite detruncant (1)?

V. An vero Socrates saltem negat, vexari Haereticos posse? Scilicet. Tantum Socrates ait, non esse moris Ecclesiae eos insectari caussa colligendae pecuniae; quod tunc facere instituerat Synadensium Episcopus Theodosius, cujus factum, avaritiamque vituperat. En totum locum. *Id autem agebat non ex more Orthodoxae Ecclesiae, quae persecutionem exercere non solet, nec rectae fidei studio incitatus: sed avaritiae obnoxius pecunias ex Haereticis colligere cupiebat. Omnia igitur molitus est adversus eos, qui Macedonianam sectam sequeban-*

(*a*) Super Cantica serm. 64. (*b*) Serm. 66. prope fin.

(1) Perspicua est quoque Bernardi sententia sub initium libri quarti ad Eugenium, ubi gladium Ecclesiae ferreum tribuit, *militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis & jussum Imperatoris* tractandum.

bantur, eo nimirum consilio, illorum ut agris, & pecunia frueretur. Non inficiatur igitur Socrates, solere Ecclesiam poenis in Haereticos animadvertere, sed tantum praeposteram illam agendi rationem, sive pravitatem Theodosii reprehendit. Atque ita interpretatus Socratem fuit Valesius, Socrate non repugnante. Qui enim, modo noluerit mentiri, negare hic historicus potuit, consuevisse Ecclesiam Haereticos divexare, cum statim narret, eundem Theodosium edicta Praefectorum Praetorii adversus Macedonianos impetrasse, cum adiiciat, demandatum provinciae Rectoribus munus fuisse Haereticos puniendi, cum denique optime omnium poenas nosset, in Arii, Macedonii, Apollinaris, Donati, Nestorii asseclas rogatu Sacerdotum nostrorum ab Imperatoribus constitutas?

VI. *Melius est quidem [quis dubitaverit?] ad Deum colendum doctrina homines duci, quam poenae timore, vel dolore compelli. Sed non quia isti meliores sunt, ideo illi, qui tales non sunt, negligendi sunt. Multis enim profuit [quod experimentis probavimus, & probamus] prius timore, vel dolore cogi, ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari. Proponunt nobis quidam sententiam cujusdam saecularis auctoris, qui dixit*: pudore, & liberalitate liberos retinere, satius esse credo, quam metu (*a*) *Hoc quidem verum est, sed sicut meliores sunt, quos dirigit amor, ita plures sunt, quos corrigit timor. Nam ut de ipso auctore istis respondeatur, apud illum etiam legunt:* tu nisi malo coactus, recte facere nescis. *Porro autem Scriptura divina & propter illos meliores dixit*, timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem (*b*), *& propter hos inferiores, qui plures sunt*, ait, verbis non emendabitur servus durus; si enim & intellexerit, non obediet (*c*). *Cum dixit, verbis eum non emendari, non eum jussit deseri, sed tacite admonuit, unde debeat emendari. Alioquin non diceret*, verbis non emendabitur, *sed tantummodo diceret, non emendabitur. Alio quippe loco dicit, non solum servum, sed etiam filium indisciplinatum plagis esse coercendum; & magno fructu*. Nam tu quidem, *inquit*, percutis eum virga,

(*a*) Terent. in Adelph. scen. 1. act. 1.
(*b*) Epist 1. Joan. cap. 4. ver. 18.
(*c*) Proverb. cap. 29. ver. 19.

ga, animam vero ejus liberabis a morte (*a*). *Et alibi dicit*, qui parcit baculo, odit filium suum (*b*)...... *Ubi est, quod isti clamare consueverunt, liberum est credere, vel non credere? Cui vim Christus intulit, quem coegit? Ecce habent Paulum Apostolum, agnoscant in eo prius cogentem Christum, & postea docentem; prius ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem quomodo ille, qui poena corporis ad Evangelium coactus intravit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Evangelio laboravit; & quem major timor compulit ad caritatem, ejus perfecta caritas foras misit timorem.*

VII. *Cur ergo non cogeret Ecclesia perditos filios, ut redirent* (*c*)? Praesertim, cum multi, poenae metu proposito, neque raro redierint, neque simulate se gesserint? Augustinus, cujus auctoritate, & argumentis hactenus usi sumus, se id saepe experientia cognovisse asseverat, atque in primis in Donati discipulis. *De multorum*, ait, *jam correctione gaudemus, qui tam veraciter unitatem Catholicam tenent, atque defendunt, & a pristino errore se liberatos esse laetantes, ut eos cum magna gratulatione miremur* (*d*). Cujus argumenti vim ut declinaret Clericus, desperato est usus perfugio, fidem nempe habendam Augustino esse negavit (*e*); itaque, nisi palam manus victas dedit, occulte certe quidem dedit. Atqui post salutarem, & celebratissimam legem, a Ludovico XIV. perlatam, idem fere Patres nostri viderunt in Galliis, quod suis ipse oculis vir ille sanctissimus in Africa usurpavit. Numquid enim confirmare Barbeyracus, & Clericus poterunt, ex immensa Calvinianorum multitudine, qui in matris Ecclesiae gremium redierunt, inter quos & grandiores natu, & perspicacissimi homines, & Pastores ipsi eminebant, omnes, aut fere omnes religionem simulasse, neque ex animo, bonam saltem partem, a Calvini erroribus discessisse? Sed qui de puniendis Haereticis silere decreveram, jam mihi videor Barbe-

(*a*) Ibid. cap. 23. ver. 14.
(*b*) Ibid. cap. 13. ver. 14.
(*c*) S. August. epist. 185. num. 21. 22. 23.
(*d*) Epist. 93 ad Vincentium Rog. num. 1.
(*e*) Animadv. in cit. epist.

beyricianae orationis nervos omnes propemodum incidiſſe (1). Plura autem qui volet, Ceillierium adire, & Muratorium poterit, &, ſecundum hos, auctorem operis inſcripti, *Refutation des Critiques de Monſieur Bayle ſur Saint Auguſtin*, quod anno 1732. in vulgus Pariſiis emanavit. Nos de Gregorio Nazianzeno aliqua diſputabimus in opere de Apollinariſtarum erroribus.

VIII. De reliquo, etſi merito exiſtimem, poenis animadverti poſſe in Haereticos; ne quis tamen de Heterodoxis, in quorum manus diſputatio fortaſſe iſta perveniet, crudelem me, atque inhumanum appellet, is ſic habeat volo, me in toto hoc argumento Muratorio omni ex parte aſſentiri. Muratorius autem tum multa alia diſſerit, tum ubique lenitatis, & miſericordiae in reprimendis Haereticis rationem habendam eſſe, conſtantiſſime & profitetur, & docet. Quod dum facit, conſentientes habet viros ſanctos, Leonem Pontificem (*a*), & Bernardum. Enimvero de hac controverſia, praeter Muratorium, & Ceillierium (longum enim fuiſſet caeteros numerare) cogitate adeundum etiam dixi auctorem Gallici operis, quod expoſui. Is quippe tract. 2. par. 2. Petri Baelii (*b*) in Auguſtinum convicia fortiſſime repulit, uberrimeque demonſtravit, jure poenas decerni in eos poſſe, qui a vera, quam ſemel ſuſceperint, religione aberraverint.

IX. Nihil igitur laborandum de parum ſano opuſculo, quod inſcriptum, *Traité ſur la Tolerance*, tribus ante annis irru-

(1) Quod Barbeyracus, ejuſque ſimiles quam ſaepiſſime clamitant, liberam eſſe fidem, religionem voluntariam, eamque imperari poenis non poſſe, praeter Auguſtinum (VI.), & alios, pulcherrime id more ſuo labefactavit paucis hiſce, & perſpicuis verbis Thomas Aquinas: *alii ſunt Infideles, qui quandoque fidem ſuſceperunt, & eam profitentur, ſicut Haeretici, & quicumque Apoſtatae; & tales ſunt etiam corporaliter compellendi, ut impleant, quod promiſerunt, & teneant, quod ſuſceperunt.... Sicut enim vovere eſt voluntatis, reddere autem neceſſitatis, ita accipere fidem eſt voluntatis, ſed tenere eam acceptam eſt neceſſitatis, & ideo Haeretici ſunt compellendi, ut fidem teneant.* 2. 2. quaeſt. 10. art. 8. Ecce igitur convulſam a nobis, & a ſcriptoribus, quos laudavimus, non Eccleſiaſticam modo, ſed etiam civilem, quam Barbeyracus nominat, Tolerantiam; cujus duplicis Tolerantiae multis prorſus, & inutilibus verbis (id enim eſt, de quo agimus) ab homine illo explicatae (cap. 12. §. 9. & ſeqq.) diſerte hic ego faciendam mentionem putavi, ne, ut Ceillierium, ſic etiam nos, confuſe diſſerere, & ignorare eam rem, quae eſt in quaeſtione, pronunciet.

(*a*) Epiſt. 93. ad Turtib. vet. edit. in Prooem.

(*b*) Comment. Philoſoph. par. 3.

irrupit in lucem, fine auctoris, & loci, unde exiit, nominè. Voltairio, ut audio, a nonnullis tribuitur. Sed & Catholicum hominen penitus dedecet, & nihil novi affert, fi fabellas demas, & illiberales jocos, quibus identidem fanctiora Chriftianae religionis myfteria irridet; ut multis propterea de caufis monitione magis, & cenfura, quam refutatione egere auctor videatur. Negat, verbi gratia, folius olim religionis cauffa (Juftinum enim, Athenagoram, fimiles de facie nunquam vidit) Chriftianos Martyres excruciatos, noftras virgines damnatas ad lupanaria fuiffe, omnemque propemodum Actis a Ruinartio collectis fidem derogat. Capite 11. eruditus Theologus obtrudit, longo intervallo Latinam Ecclefiam una cum Graeca credidiffe, Spiritum fanctum a Patre tantum procedere, nec fubobfcure Lutheri, & Calvini errores de fide, & operibus fovet. XII. vero capite, etfi verbo neget, re tamen ipfa videtur ftatuere, extra Ecclefiam falutem acquiri poffe. Sed nova prorfus, atque admirabilis ratio eft, qua cap. 15. Veterum teftimonia affert adverfus *Intolerantiam*. Nihil ibi accuratum, nihil fincerum, nihil, quod non ftomachum moveat. Sic enim agit. *Apologet. cap.* 24 (Quis, oro, auctor?) *S. Hilarius lib.* 1. *Lact. lib.* 3. *Athanafius lib.* 1. *Juftinus Martyr lib.* 5. *S. Bernardus in epiftolis*. Hunc tu hominem, tam antiquitatis fcientem, tam in Patrum verfatum operibus, non miferatione dignum exiftimes? Sed idem, unaque Barbeyracus nofter, tumere ut definant, audiant extremo loco, quid Wallones, ut appellant, Ecclefiae Belgii foederati decreverint in conventu frequentiffimo, quem anno 1690. Amftelodami habuerunt. Enunciationem hanc, *Magiftratus auctoritate fua uti nequit ad evertendam Idololatriam*, *impendiendofque progreffus haerefeos* (ita ego latine verti), cunctis fententiis execrati funt, tanquam perniciofum errorem, qui morum doctrinam aeque atque religionis dogmata labefactat (*a*).

PARS

(*a*) In actis ejufd. Syn.

PARS TERTIA

De veris in doctrina morum erroribus,

FALSO PATRIBUS

a Barbeyraco attributis.

⚜ ⚜ ⚜ ⚜

XLII. HActenus docui, quae adversarius criminis loco esse vult, ea crimina Patrum non esse, sed consilia, vel praecepta sanctissima, a quibus turpe est, Lutheri, & Calvini asseclas dissentire. Sequitur nunc tertia defensionis pars. Nam, ut hoc grandioris operis specimen suis sit omnibus expletum numeris, atque utilitate praestantius, breviter saltem de illis erroribus cognoscendum, in quos si Patres fortasse incidissent, descivissent illi quidem a vero, sed postulasset pietas tamen, ne accusatoris partes sibi Barbeyracus deposceret. Abhorret id enim ab incorrupto naturalis juris interprete, praestatque imitari non Chamum, sed pudentissimos Chami fratres, qui laudatore ejus verecundiae Vincentio Lirinensi (*a*), *nuditatem ipsam reverendi Patris nec suis temerare oculis, nec alienis patere voluerunt, sed aversi, ut scribitur, texerunt eam.* Sed quoniam homini placuit accusatorie agere, Patresque & aetate, & rebus gestis, & sapientia, & moribus spectatissimos in contemptionem adducere, nos magno animo capitaliora nonnulla crimina diluemus, non quod, si comprobata illa essent, nobilissimorum Patrum minueretur auctoritas (§. XIII. XIV.), sed ut hinc omnes intelligant, quantum reliquis nugis Barbeyraci, & fallaciis tribuere oporteat. Sequemur autem praeceptorum Decalogi ordinem, ut disputatio ad certa quaedam capita opportunius revocetur; aliunde, quia brevitati studendum necessario est, delectum rerum, & praeceptorum habebimus.

XLIII.

(*a*) Apud Canum Lib. x. cap. 3. Conclus. 2.

XLIII. Illud ante denuncio, praeclare Clementem Alexandrinum fecisse, qui peccatum esse posuit, *quidquid recte rationi adversatur* (*a*): id ille ex divinis litteris planissime demonstravit, & quamquam non debuit, ut contra jus Barbeyracus postulat (*b*), lumine etiam rationis ostendere, praesertim cum vivendi praecepta Christianis hominibus traderet, ostendit tamen, definitionem suam cum Philosophorum doctrina congruere, quod eodem revertitur. Ego certe video, stoicos apud Stobaeum peccatum vocasse, *quod praeter rectam rationem fit* (*c*), & M. Tullium *quidquid peccatur, id peccari* dixisse *perturbatione rationis, atque ordinis* (*d*). Unde & Augustino peccatum est, quod fit, vel praetermittitur *contra legem aeternam: lex vero aeterna..... ratio divina, seu voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans* (*e*).

XLIV. Sed qui peccati vim, duce Deo, & ratione, ita explicavit, is stellarum cultum adversus rectam rationem repugnare non vidit. Triumphat enim Barbeyraci oratio (*f*) in hoc Clementis loco: *dedit autem Solem, & Lunam, & astra in religionem, quae Deus fecit gentibus, inquit lex, ne, si omnino essent impii, & a Deo alieni, omnino interirent* (*g*). Cum Clemente Justinum in erroris impietate consociat, & si paullo fuisset in Theologia eruditior, consociasset praeterea Origenem, & Augustinum, quos omnes Juriaeus (*h*) vehementer exagitat, *quod sibi finxerint, Moysem dixisse, Deum distribuisse Solem, & Lunam, & Stellas gentibus, ut essent eorum Dii, ac ea adorarent, sibique reservasse populum Israel*. Sed prospere accidit, Calvinianum scriptorem Calviniani Theologi ignorasse sententias; alioquin nullum contumeliarum finem fecisset. Quidquid sit, Clementem Alexandrinum nervose defendit, multisque argumentis omnino expiavit Ceillierius (*i*), ostendens, illum hoc unum docere, sivisse Deum, ut gentes astra

(*a*) Paedag. lib. 1. initio cap. ultimi, edit. Potteri. (*b*) Cap. 5. §. 12.
(*c*) Eclog. Ethic. cap. 4. (*d*) Parad. 3. in fine.
(*e*) Lib. 22. cont. Faustum cap. 27. (*f*) Cap. 5. §. 39. & seqq.
(*g*) Strom. lib. 6. cap. 14. pag. 795. Tom. 2.
(*h*) Histor. Critica Dogmat., & cultuum Eccles. par. 4.
(*i*) Cap. 2. pag. 70.---75.

aſtra venerarentur, & colerent, quo deinde ex aſtrorum cultu ad cultum Opificis, & Procreatoris aſſurgerent. Verbo, Clementis locus, Ceillierii ſententia, eandem habet ſignificationem, & vim, quam locus ille Actorum, *convertit autem Deus, & tradidit eos ſervire militiae coeli* (*a*), ut etiam Grotius exiſtimavit. Alias enim perſaepe Clemens Idololatriam, tanquam ſcelus, horrendumque flagitium deteſtatur. Quandoquidem vero Barbeyracus, etſi multa dixerit, Ceillierii tamen rationes, auctoritateſque non diluit, nihil eſt, quod homini tam loquaciter litigioſo reſpondeam. Duo tantum quam breviſſime adiiciam. Juriaeus ſtultiſſimam illam, peſtiferamque ſententiam de cultu aſtrorum, quam impoſuit Patribus, eſſe ait *ſenſui communi, rationi, & religioni ita contrariam, ut mirum ſit, in eam incidiſſe Chriſtianos*. Ego etiam opinionem hujuſmodi talem prorſus eſſe, quam unus omnium ſenſus, ratio, atque religio adſpernetur, ac reſpuat, cum Juriaeo, & Barbeyraco perlibenter confirmo. Sed quid erit hinc conſequens? Hoc omnino, nullo modo veriſimile eſſe in opinionem tam ſtultam, & futilem Patrum doctiſſimos incidiſſe, niſi ſi illos plane ſtupidos, & bardos exiſtimes, quod de Clemente Alexandrino, Origene, & Auguſtino nemo omnium mortalium ſtatuet. Itaque Gentianus Hervetus longo ante intervallo eandem, quam Ceillierius ſuperiori Clementis loco explicationem adhibuit, ſic illum diſſerentem inducens. *Praeſciebat Deus, Gentiles non eſſe credituros, quod eſt praecipuum religionis: nolebat tamen, eos eſſe impios, & a Deo alienos, ne, ſi Deum non cognoſcerent, omnino interirent. Cum ergo in eos non caderet hominis perfectio, nempe fides, dedit eis qualemcumque ſuam perfectionem, nempe Philoſophiam, per quam Deum cognoſcerent, ut ſcilicet, dum viderent ſolem, lunam, & ſtellas, quae ſunt Dei opera, per ea auctor ipſe intelligeretur.... Cum ergo eis datum eſſet hoc mandatum, ut ex aſtris Deum agnoſcerent, tantum abeſt, ut agnoverint, ut vel aſtra ipſa tanquam Deos colerent, Deo non cognito* (*b*).

H XLV.

(*a*) Cap. 7. ver. 42.
(*b*) In Comment. ad hunc loc. in calce Tom. 2. pag. 183.

XLV. Quam interpretationem commodam esse, & legitimam, liquidius constabit, ubi de Justino Philosopho dixero. Is in Dialogo cum Tryphone num. 121. *solem quidem*, ait, *Deus dederat prius ad adorandum*, *sicut scriptum est: nec quisquam unquam extitit*, *qui mortem propter fidem in solem oppeteret*. Deuteronomii locum, quem Justinus designat, in editione latina ita se habet: *ne forte elevatis oculis ad coelum*, *videas solem*, *& lunam*, *& omnia astra coeli*, *& errore deceptus adores ea*, *& colas*, *quae creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus*, *quae sub coelo sunt* (*a*). Septuaginta autem Interpretes postrema verba sic verterant: ἃ ἀπένειμε κύριος ὁ θεός σου αὐτὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ. Quot nunc adversarius non excitasset tragaedias, si locum illum Justini vidisset? Quot plausus captasset? Et tamen si aequitate uti velis (velle autem omnes debent), nostri verba, quamvis in speciem duriora, nullam errati suspicionem iniiciunt. Neque enim tradit, Deum hominibus, stellas colentibus, ignovisse, aut illas idcirco procreasse, ut colerentur: tantum deflet profanarum gentium stuporem, ac caecitatem, quas, ut Judaeos, neque lex, neque prodigia, neque Prophetarum oracula, neque ad extremum naturae vox deterrere a colendis sideribus potuerunt. Justini verba in mitiorem hanc partem interpretari jubet alius ejusdem locus, qui dubitationem non habet, sed quem tamen Calviniano scriptori operae pretium visum est mutilatum producere. Cum enim Trypho Justinum rogasset, ut demonstraret, alium esse praeter Deum Patrem, qui in sacris litteris Deus, ac Dominus vocari solet, statim admonet, *ne solem*, *& lunam dicat*, *quae scriptum est*, *gentibus concessa a Deo fuisse*, *ut ea tanquam Deos colerent*. Respondet autem Justinus, nihil monito opus fuisse. *Non eram*, inquit, *allaturus*, *Trypho*, *has demonstrationes*, *quibus eos condemnari scio*; *qui haec*, *& similia colunt*, *sed eas*, *quas contra nemo dicere poterit* (*b*). Justini responsum Barbeyracus silentio praeterit; in Indice operis tamen ad verbum *Idololatria* confidenter edicit, tam aperto, turpique flagitio Clementem, atque Justinum excusationem dedisse, quod certe

(*a*) Cap. 4. ver. 19. (*b*) Num. 55.

te ferri non poteſt. Sed fortaſſe cum jus naturae penitus ſcrutatus eſſet, maximis tandem ſtudiis deprehendit, ſimulationem, etſi in graviſſimam aliorum redundet infamiam, vitio dari non poſſe.

XLVI. Interim ex Juſtino nova, ut dixi, oboritur lux, qua ſubobſcurum Clementis teſtimonium perfundatur. Ut enim apud Juſtinum verbum *dederat* non aliud valet, quam ſinere, atque permittere; ita ne apud Clementem quidem aliud ſonare putandum eſt. Multo aequius igitur, quam Barbeyracus, & rectius Hugo Grotius a Ceillierio indicatus: *apud quos* (Patres nimirum) *verbum* dedit *interpretandum per* ſinere, *ſicut Paulus dicit, Deum ſiviſſe gentes ire in viis ſuis, quia Deus nulla lege morem illum, poſtquam ſemel invaluerat, repreſſit* (*a*). Iſidorus certe Peluſiota neminem unum de Patribus noverat, qui eo laboraſſet errore, quem Juriaeus, & Barbeyracus tanta ipſis licentia attribuunt; ſi qui vero de aliis ſunt, qui ita ſentiant, hos ait inſcitiam ſuam ſplendide patefacere. Iſidorum tu vide (*b*): nobis jam de jurejurando dicendum eſt, quod ad ſecundum praeceptum Decalogi revocatur.

XLVII. Hoc enim loco adverſarius rurſus Juſtinum Philoſophum (*c*), tum Irenaeum (*d*), iterum Clementem Alexandrinum (*e*), poſtea Tertullianum (*f*), mox Baſilium (*g*); poſtremo Hieronymum (*h*) accuſat, atque inſectatur, qui tam hebeti ingenio fuerint, ut exiſtimaverint, jurare fideles Chriſti ſine peccato non poſſe. Juſtinus certe in Apologia priore cum verba illi Chriſti, *ne juretis omnino*, ſine ulla exceptione produxerit, & genus eſt quoddam ambigui, accuſatoris ſententia, utrum ipſe jusjurandum, etiam graviſſimam ob cauſſam adhibitum, legitimum duxerit, & Romanis ſuſpicandi occaſionem dedit, illud a Chriſto prorſus ſublatum, atque interdictum fuiſſe. Crimen enimvero capitaliſſimum viri ſancti, qui populos jurare per Jovem ſolitos non docuerit, quo loco, & tempore jurejurando uti liceat, quique illis perſuaſerit, Chri-

H 2 ſtia-

(*a*) In cap. 4. Deuteron.
(*b*) Apud Maranum in Praefat. ad S. Juſtin. par. 2. cap. 4. num. 2.
(*c*) Cap. 2. §. 5. (*d*) Cap. 3. §. 6.
(*e*) Cap. 5. §. 24. cum nota 6. (*f*) Cap. 6. §. 22.
(*g*) Cap. 11. §. 12.—16. (*h*) Cap. 15. §. 2—5.

ſtianos praeceptoris ſui imperata facere, dum ne cruciatibus quidem ad jurandum per fortunam Caeſaris adduci poſſunt. Sed tamen Juſtinus noſter & in Dialogo jurantem Deum facit propter Judaeorum perfidiam (*a*), & in eadem Apologia militare tacite approbat ſacramentum, piis conceptum verbis, quo Romani fidem Reipublicae ſuam obligabant (*b*). Non videtur ergo Chriſti verba Juſtinus in eam partem interpretari, ut nihil prorſus excipiat. Ita enim illius praeceptum expoſuit: *ne autem juremus omnino, ſed vera ſemper dicamus, ſic praecepit: ne juretis omnino, ſed ſit veſtrum, eſt, eſt, non, non* (*c*). Quo loquendi genere non illud etiam jusjurandum Juſtinus redarguit, cujus neceſſitatem nonnunquam imponunt doli, atque mendacia, ſed ſignificat potius, nullum fore jurijurando locum, ſi vera ſemper homines loquerentur, mendacium vero nec pati poſſent, nec dicerent. Nam ſic intelligit Chriſti verba, quaſi juſſum eſſet; nolite prorſus jurare, ſed vera ſemper loquimini. Quocirca declarat potius Juſtinus, praecepiſſe nobis Chriſtum, vera ut ſemper loquamur, effugiamuſque omnibus in rebus mendacium, quam vetitum putat, ut nunquam juremus, ne ſi quidem jurisjurandi vim neceſſitas poſtulet. Ac certe explicatio haec cum tota orationis ſerie pulcherrime congruit.

XLVIII. I. In Clementem Alexandrinum vereor, ut Barbeyracus jurare poſſit calumniam. Ille enim in ſeptimo Strom. planiſſime, ac diſertiſſime jusjurandum probat, quo interdum viri boni utuntur; ac valde mirari ego ſoleo, pulcherrimum locum a nullo, quod ſciam, Theologo productum in hac quaeſtione fuiſſe. Sic igitur Clemens: *jam vero recte Gnoſticus* (perfectus videlicet Criſtianus) *jurat, proclivis autem ad jurandum non eſt, verum raro quidem accedit ad jurandum eo, quem diximus, modo. Quamquam ut ſit verax in jurejurando, ſit ex ea, quam cum veritate habet, conſenſione*. Et infra: *unde etiam neque jurat, ſi fuerit rogatus, neque unquam, quod juravit, negat* (*d*). Poſt haec pudet plane me adverſarii, qui ex Paedagogo teſtimonium illud protulerit, *abſit autem ante omnia jus-*

(*a*) Num. 33. (*b*) Num. 39.
(*c*) Num. 16. (*d*) Cap. 8. pag. 862.

jusjurandum, caussa rerum, quae venduntur, susceptum. Absit autem etiam in aliis jusjurandum, & ita philosophentur negotiatores forenses, & caupones; non assumes nomen Domini in vanum: neque enim eum mundaverit Dominus, qui nomen ejus in vano assumit (*a*). Quid enim hic non summa laude, & praedicatione dignissimum? Nam primum divina, quam affert, auctoritas satis declarat, vetare dumtaxat Clementem, ne qui emunt, aut vendunt, saepius, inconsiderate, ac temere jurent: quod vitium utinam de medio tolleretur! Deinde nonne suspicimus praeclarum Isocratis monitum in oratione ad Demonicum: *pecuniae caussa per nullum Deum jurabis, etiamsi liquido id facere possis, ne aliis perjurus, aliis avarus esse videaris*? Erimus autem tam iniqui, & leves, ut quod in Isocrate magnis efferimus laudibus, in Clemente Alexandrino carpamus? Pufendorfius mittens nos ad Valerium Maximum lib. 2. cap. 10. §. 2. (*b*), Atheniensium Judicum factum probat, qui Xenocratem, testimonium dicentem, jurare prohibuerunt. Fallitur quidem, ut in his rebus solet, Pufendorfius, qui ad cap. 5. §. 10. nos mittere debuit, non ad caput 10. §. 2., eo magis, quod secundus Valerii liber quinque tantum constat capitibus: sed ut fallatur, Atheniensium factum tamen non injuria probat. Idem illam Oedipi apud Sophoclem vocem laudavit, *neque te ut hominem malum juramento obstringam*, laudavit etiam Peruvianorum morem, qui olim jurejurando non utebantur, sed promissa solum faciebant: nos autem in crimen Clementem vocabimus, quasi omnium rerum imperitum, quod negotiatoribus dixerit, *absit autem ante omnia jusjurandum, caussa rerum, quae venduntur, susceptum?*

II. Accedit, quod feliciter Barbeyracus detexit, sententiam hanc fuisse a Clemente descriptam non ex Platone, Poeta Comico, sed ex Platone Philosopho, legendumque graece esse, ἔπαινος δὲ, ὅρκός τε περὶ π. ντὸς τοῦ πωλυμένυ ἀπέςω, non autem, ut hactenus legimus, ἐπαίτιοι δὲ ὅρμος περὶ πάντων τῦ πωλυμένυ ἀπέςω. Si vero illud, non hoc legi debet, Clemens profecto, etsi moneat venditores, ne jurejurando abutantur, non propterea tamen

(*a*) Lib. 3. cap. 11. pag. 299.
(*b*) De J. N. & G. lib. 4. cap. 2. §. 2. edit. Lat. Lausannae 1744.

men jurisjurandi ipsius vim, ac naturam ulla ratione vituperat. Sic enim is locus, nisi prorsus hallucinor, latine vertendus: *absit autem laus, & jusjurandum caussa cujuscumque rei, quae vendatur, susceptum*. Ubi ut laudem Clemens suapte natura non ponit in vitio, sic ne jusjurandum quidem. An vero alicubi Plato, cujus sententiam exscribit Clemens, jurare sine ulla exceptione prohibuit? Relinquitur ergo, adversarium, qui omnem prorsus jurisjurandi usum improbatum a Clemente esse, confirmavit in Indice, & parum sibi constare, & fucum facere more suo voluisse. More, inquam, suo. Cum enim cautissime scripsisset noster: *ego vero iis quoque, qui uxores ducunt, consuluerim, ne unquam uxores suas coram famulis osculentur* (*a*); ita ipsum loquentem inducit, quasi vetaret, ne coram famulis osculum viri darent uxoribus, verbum scilicet consulendi cum jubendi verbo commutat, praeteritque deinde silentio, quod idem ex Aristotele e vestigio addidit: *nam nec famulis quidem unquam arridere permisit Aristoteles*. Ego vero, qui peccata digitis non dimetior, paullo essem, quam Clemens, severior, virosque admonerem, ne censeant, licere sibi vel solis uxores suas, utcumque placuerit, osculari.

XLIX. Ex his capere conjecturam potestis, quam adjungi Barbeyraco fidem oporteat, dum vociferari non desinit, Irenaeum, Basilium, Hieronymum in ea fuisse sententia, nunquam jurare fas esse. Cum Dei Filius legem illam praescripsit, *ego autem dico vobis, non jurare omnino.... sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod autem his abundantius est, a malo est* (*b*), jusjurandum universe, generatimque lege ejusmodi non damnavit, sed perversum Judaeorum judicium redarguere voluit, qui sibi in animum induxerant, nihil in jurejurando cavendum esse, praeter mendacium: itaque de rebus levissimis, & nullius momenti & ipsi jurabant saepissime, & alios ad jurandum solebant adigere. Pestiferum istum morem Servator, Deusque noster condemnat, docetque, omnino a jurejurando abstinendum esse, nisi cogat necessitas. Cum enim illud propter humanam imbecillitatem sit institutum a malo re-

(*a*) Paedag, lib. 3. inic. cap. 12.
(*b*) Matth. cap. 5. ver. 34. 37.

revera originem habet, quia aut jurantis levitatem, atque inconſtantiam indicat (1), aut illius, cujus cauſſa juramus, contumaciam, qui, ut credat, aliter adduci non poteſt. Sed tamen jurandi neceſſitas penitus culpa vacat. Nam & Divinus Praeceptor cum ait, *ſit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non*, hac loquendi formula ſatis declarat, ſe jurandi conſuetudinem in colloquiis familiaribus, & ubi levibus de rebus agitur, prohibere, ne ex nimia ad jurandum propenſione, atque facilitate ad perjuria temere delabamur, quemadmodum homines multis ante ſaeculis commonefecit Eccleſiaſticus, *jurationi non aſſueſcat os tuum, multi enim caſus in illa*, &c, *vir multum jurans implebitur iniquitate* (*a*). Chriſti verbis hanc ex Ambroſio, Auguſtino, aliiſque Veteribus Catechiſmus Romanus interpretationem adhibuit, in eandemque ſententiam, praeter Baſilium, & Hieronymum, intelligi etiam Irenaeus debet, qui tantum de illo Chriſti praecepto curſim, atque praeteriens memoravit (*b*).

L. Idem igitur cum Dei Filio tradiderunt hi Patres, quod tradidit Philo Judaeus apud Grotium libro ſecundo de Jure Belli, & Pacis (*c*), cujus ex fontibus hortum hunc meum cogitate irrigabo, quo magis Barbeyracus ad verecundiam adducatur. Haec ergo Philonis oratio: *optimum, atque utiliſſimum, & rationali naturae convenientiſſimum eſt juramento abſtinere, atque ita ſe veritati aſſuefacere, ut verba pro juramento accipiantur* (*d*). Sic autem de Eſſenis Joſephus, *quidquid dixerint, validius eſt jurejurando, ac ſupervacua res ipſis habetur jurare* (*e*). Solonis etiam graviſſima illa vox, *ea eſto probitate, ut ei magis, quam juramento credatur* (*f*). Pythagorae praeceptum fuit, narrante Laertio, *non jurandum per Deos: quemque enim id curare debere, ut nec jurato ſibi credatur* (*g*). Scythae ipſi ad Alexandrum de ſe: *jurando gratiam Scythas ne ſan-*

(1) Philo de Decalogo. *Jam enim is, a quo jusjurandum exigitur, perfidiae eſt ſuſpectus.*

(*a*) Cap. 23. ver. 9. & 12.

(*b*) Lib 2. cap. 32. edit. Maurin.

(*c*) Cap. 13. §. 21. num. 4. & 5. (*d*) De Decal.

(*e*) Antiq. Jud. lib. 2. cap. 7.

(*f*) Apud Laertium lib. 1. ſect. 60.

(*g*) Lib. 8. ſect. 22.

sancire credideris: colendo fidem jurant (*a*). Hinc Alexis Comicus apud Stobaeum,

Nutus mei pro jurejurando valent (*b*);

Antoninoque Imperatori vir bonus is demum censetur, *qui nec opus habeat jurejurando* (*c*). Quod si tot, ac tales antiquorum sententias nemo, quod sciam, non magnopere admiratur, ac celebrat, quibus laudibus non efferemus Basilium, Hieronymum, Irenaeum, & alios, qui cum Christianos ad summam virtutem, coelestemque Philosophiam instituant, id enixe agunt, ut illos a jurejurando deterreant? Neque enim illinc Judaei, & profani scriptores, hinc autem Patres ipsum per se jusjurandum apud populum criminantur, sed hoc suadere, hoc praecipere unum volunt, jusjurandum facile adhibendum non esse, nisi quodammodo exprimat, extorqueatque necessitas. Esse enim affirmationem religiosam, qua Deo teste utimur, locuples humanae imbecillitatis indicium, & a perfidia, ac depravatis moribus originem ducere (*d*).

LI. Ut ergo olim Libanius in Christiani Imperatoris laudibus posuit, quod *a perjurio tantum abest, ut etiam vera jurare vereatur* (*e*); ita collaudandi Irenaeus, Basilius, atque Hieronymus, qui in Christianis hominibus singulariter exsecrantes perjuria veriti etiam quodammodo sunt sanctissimum illis, atque verissimum jusjurandum permittere. Sed & in reprehensione Basilii adversarius in Criticae leges peccavit. Ut enim ostenderet, virum summum apertissime confirmasse, jusjurandum in veteri lege approbatum, in nova fuisse a Christo penitus interdictum, recipit se ad concionem primam in Ps. 14. (*f*), quae adulterina est, Basilioque inconsiderate supposita, ut planum maximis argumentis fecit Garnierius in Praefatione ad Basilii opera (*g*), quorum primum volumen septem ante annis prodiit, quam Barbeyraci liber exierit. Quid? Oratione

(*a*) Apud Q. Curtium lib. 7. cap. 8.
(*b*) Serm. 27. (*c*) Lib. 3. § 5.
(*d*) V. S. Jo. Chrysost. hom. 20. ad populum Antioch.
(*e*) Lib. 14. (*f*) Cap. 11. §. 14.
(*g*) §. 6. de Psalmis num. 33.

tione 2. in eundem Psalmum, quae sola ad nos pervenit, quamque Gregorii Nysseni testimonium inter dubia opera numerari non patitur, debitorem Basilius jurantem inducit, se parem solvendo non esse; & in priore canonica epistola (*a*) dedita opera de illis agit, qui jurejurando affirmaverant, se ordinationem non accepturos: nihilominus ne voculam quidem reperies, qua debitorem, vel posteriores hosce homines reprehendat. Basilius ergo de jurisjurandi religione nihil statuit, quod a veritate discedat, nisi forte adeo desipimus, ut eum errasse velimus, quod Gregorium, Neocaesariensem Episcopum, dignum laude, & praedicatione putaverit, quia *contentus his vocibus*, ita, *&* non *juramenta fugiebat* (*b*).

LII. Tertullianus vero apertissime a nobis facit. In loco enim, ubi crimen sibi videtur Barbeyracus deprehendere, vetat solum jurare per Deos, cum ibi plura simul colligat, quae Idololatriam olere possunt. Proferamus, atque explicemus totum locum. *Cedamus itaque succedere alicui posse* (de Christianis loquitur apud profanos populos munera publica, magistratusque obeuntibus), *cedamus*, *succedere alicui posse*, *ut in quoquo honore in solo honoris nomine incedat*, *neque sacrificet*, *neque sacrificiis auctoritatem suam accommodet* (quod erat Pontificum), *non hostias locet*, *non curas Templorum deleget*, *non vectigalia eorum procuret* (quod pertinet ad Ædituos), *non spectacula edat de suo*, *aut de publico*, *aut edendis praesit* (quod Ædiles Curules, & Praetores faciunt), *nihil solemne pronunciet*, *vel edicat* (quod munus obeunt Augures), *ne juret quidem*, per Deos videlicet, ut moris erat. Hoc prorsus modo explicandum Tertullianum puto cap. 17. de Idololatria, unde adversarius argumentum depromit. Nam infra, capitibus nimirum 20., & 21. de jurejurando per Deos adhibito fusius loquitur. Praestabat ergo, ut Aristarchus noster Tertulliani illa sententia, quae est ejusdem libri cap. 23., uteretur, *praescribit Christus*, *non esse jurandum*. Quamquam ne hic quidem jusjurandum quodcumque Tertullianus redarguit, sed illud tantummodo, quod temere, praeterque necessitatem suscipitur;

(*a*) Ordine 188. can. 10. edit. Garnier.
(*b*) Epist. 207. num. 4.

tur; cum alibi Christianos solere interdum jurare, his significet verbis, quae dirimunt controversiam, *sed & juramus, sicut non per Genios Caesarum, ita per salutem eorum* (*a*). Nihil testimonio ejusmodi neque luculentius, neque apertius cum esse possit, Africanus scriptor ad eorum numerum aggregandus, qui jusjurandum rite, legitimeque susceptum probarunt. Ubi cognoscere juverit, adnumerandum eisdem esse & Eusebium, Caesariensem Episcopum, cujus illustrem, ac perspicuum locum ego primus cupidissime affero, ductum ex Commentariis in Psal. 14., quae anno 1706. Montfauconius edidit. *Hic pro re una tantum congruenter jurari posse decernit* (Propheta Regius), *dum is, qui jurat, jusjurandum ne violet. Ecqua illa res est, nisi amicitia, & necessitudo cum aliquo, pacto foedere, juncta? Est autem juramentum talis viri inculpatum, & innoxium, quo firmatur illud*: ita , ita, &, non, non (*b*).

LIII. Cum Tertulliano vero, & Eusebio consentire etiam Theophilum video, Constitutionesque Apostolicas. Theophilus enim cum, allatis Euripidis versibus, doceat, *de iniquo jurejurando* inquisiturum Deum esse, sumit oppido pro concesso, & probato, aliquod interdum jurari jusjurandum posse, quod vitio careat (*c*). Atque id dilucidius Constitutiones confirmant, quae illud jubent, *perjurium, & frequens cum vanitate jusjurandum fuge; non enim innocens, ac impunitus eris* (*d*). Quorsum enim verba illa, *frequens cum vanitate*, si nunquam jurejurando uti licet? Poni brevius debuisset, perjurium, & jusjurandum fuge. Utroque igitur loco jurisjurandi religio comprobatur, hoc tamen Constitutiones praecipiunt, ut juremus cum veritate, & judicio; Theophilus autem, ut cum justitia. Ex notissima enim doctrina Hieronymi (*e*), jusjurandum, ut rectum, sanctumque sit, veritate, judicio, & justitia niti debet. Hinc paullo ante Theophilus summatim peccata complexus, a quibus cavere oporteat, monuit quidem, fugiendum esse perjurium, de jurejurando autem penitus siluit, verbis usus ejusmodi (*f*) *edocti sumus, ut ab infando simulacrorum cultu*,

(*a*) Apolog. cap. 32. (*b*) Tom. 1. Collect. Novae PP. Graec.
(*c*) Lib. 2. ad Autol. num. 37. edit. Maur. (*d*) Lib. 2. cap. 36.
(*e*) In cap. 4. Jerem. (*f*) Num. 34.

cultu, ab adulterio, caede, ſtupro, furto, avaritia, perjurio, iracundia, laſcivia omni, & impuritate abſtineamus, & quae ſibi quiſque fieri nolit, ea alteri ne faciat (1).

LIV. Viderunt igitur Patres noſtri, ſanctiſſimi homines, atque doctiſſimi, jurijurando locum quandoque ſine ullo jurantis crimine relictum eſſe; eamque doctrinam, ab his profectam auctoribus, longe, lateque ad Eccleſiam dimanaſſe, & ex ſuperiore Tertulliani ſententia (§. LII.) intelligimus, & ex vetere hiſtoria. Ut ſcripſit ad Trajanum Plinius epiſtola ea, quae libri decimi eſt nonageſima ſeptima, jam inde a prima aetate ſolebant *ſe* Chriſtiani *ſacramento non in ſcelus aliquod ob-*

I 2

(1) I. Sed & in numero Patrum, manifeſte jurijurando faventium, reponendus omnino Gregorius Nazianzenus, cujus ego tria primus exhibebo teſtimonia, deſumpta ex Epigrammatis, quae Muratorius ex tenebris eruit, atque in lucem publicam protulit. Anecdot. Graec. Tom. 1. Gregorius enim cum mortem Martiniani, gente Cappadocis, viri pii, atque clariſſimi, multis verſibus ſibi ornandam, ac celebrandam ſumpſiſſet, ibi jusjurandum graviſſimum ter interpoſuit. En loca Epigramm. 13.

Juramus per immortalis Dei potentiam alte regnantis,
Mortuorumque animas, tuumque cinerem, o glorioſe
Nunquam nos, Martiniane, tuis manus illaturos
Columnae, ac tumulo: neque enim ſacris.

Epigram. 16. Martinianus ipſe de ſe:

Numquam ego cum mortuis luctatus ſum, neque de tumulis
Lucrum feci. Juſtitiam juro, & mortuos.

Tandem Epigramm. 27., quod ad Graecorum veterum accedit praeſtantiam,

. . . . *Nobis vero firmum hoc ſit jusjurandum,*
Numquam excitandam apud homines ſimilem imaginem.

Conjicit autem Muratorius (not. ad Epigr. 3.), virum hunc, tot a Gregorio laudibus decoratum, Martinianum illum Africae Vicarium eſſe, ad quem in Theodoſiano Codice tria exſtant Conſtantii Imperatoris reſponſa. *De Decur.* l. 44. 45. 46. Martinianos porro nobilem, & ſpectatiſſimam quarto noſtri generis, atque feminis ſaeculo fuiſſe gentem, vetuſtiſſimis aliis monumentis demonſtrat. Quin producta inſcriptione Gruteri (pag. 283. num. 5.), Martinianum quendam commemorat, Conſtantino Magno imperante, Praefectum Urbis. Quaeſivi hunc ego Martinianum in *Serie Praefectorum Urbis*, quae Corſini noſtri, ſcriptoris longe eruditiſſimi, atque accuratiſſimi, opera triennio ante emanavit in vulgus; inveſtigare tamen non potui.

II. Caeterum Hilario, Pictavorum Epiſcopo, cujus tamen Barbeyracus non meminit, diu a multis attributa opinio fuit de jurejurando Chriſtianis hominibus penitus interdicto. Eumque revera ita ſenſiſſe, praeteriens affirmavit Caveus. Sed ab Hilario hanc labem, vel maculam ipſius editor, Petrus Conſtantius propulſavit. Not. in Comment. ad Matth.

obstringere, *sed ne furta*, *ne latrocinia*, *ne adulteria committerent*, *ne fidem fallerent*, *ne depositum appellati abnegarent*. Potamiana Alexandrina virgo, Palladio teste (*a*), per caput Imperatoris juravit, per salutem Marcianus, & Nicander, nobilissimi Martyres, apud Ruinartium (*b*). Dracontius, ad quem extat Athanasii epistola, jurejurando affirmavit, numquam se commissurum, ut initiaretur sacerdos, neque tamen eam ob rem in piorum reprehensiones incurrit. Ipse vero Athanasius saepe omnino in libris suis juravit. *Solet* enim, teste Optato Milevitano, *solet Deus ad probandam fidem in juratione ab hominibus nominari* (*c*). Antiochiae ad tollendum schisma, quod incauta plebs Meletii caussa conflaverat, qui ad Episcopatum gerendum idonei videbantur (erant autem sex numero, ut narratum a Socrate) solemni fidem suam sacramento obligarunt, se id Sacerdotii, ne oblatum quidem, suscepturos post mortem vel Meletii, vel Paulini, sed concessuros potius, ut defuncto alterutro, alter solus in demortui locum succederet (*d*). Jurandi vero mos ad sepulchra Coelestium, Augustino necdum Episcopo (*e*), percrebuerat Mediolani, Ravennae, Romae, Nolae, & alibi, ut ex Lambertino cognoscimus (*f*). Per Imperatorum quoque salutem milites olim nostri jurabant: Christianis vero Imperatoribus, sacramenti militaris formulam Vegetius ita conceptam fuisse testatur. *Jurant per Deum*, *& per Christum*, *& per Spiritum sanctum*, *& per majestatem Imperatoris*, *quae secundum Deum generi humano diligenda est*, *& colenda*. (*g*).

LV. Quod si consequentium aetatum, quae notiora sunt, testimonia complecti vellem, exitum vix reperiret oratio. Superiora (§. 47. --- 55.) tamen satis ostendunt, quam depravate toto fere opere Barbeyracus dictitet, Majores nostros universae morum doctrinae magnam caliginem offudisse, propterea que ex illorum fontibus praecepta vitae depromi non posse. Ut enim reliqua hominis officia Latinis, Graecisve literis

(*a*) Lausiacae Hist. cap. 3. (*b*) Acta Mart. sync. pag. 486.
(*c*) Lib. 2. (*d*) Socrat. lib. 5. cap. 5.
(*e*) Ex Epist. 78. ad Maur.
(*f*) De Syn. Dioecef. lib. 4. cap. 7. num. 6.
(*g*) Lib. 2. de re militari cap. 5.

teris prudentiſſime explicarunt, ſic de jurejurando ſapientiſſime & locuti ſunt, & ſcripſerunt, quin egeamus Barbeyraci conſilio, identidem inculcantis, ut illis dimiſſis, Grotium potius, Puſendorſium, Thomaſium adeamus. Nam ex Patribus tum alia multa didicimus de tota jurandi ratione, tum haec duo, quae ſunt hujus loci propria, jusjurandum ſuapte natura legitimum eſſe, atque ſanctiſſimum, nunquam tamen eo utendum, niſi veritatem, juſtitiam, & judicium comites habeat (§. LIII.), ideſt, niſi illud vel publica res, vel Dei honor, vel proximorum utilitas, aut alia quaevis neceſſitas flagitet, quemadmodum & exemplo ipſi ſuo, & piorum hominum factis divinae litterae docuerunt. Sic Abrahamus publico nomine initum cum Abimelecho foedus jurejurando firmavit (*a*). Sic etiam Jacobus, & Laban ad ſedandas diſcordias fecerunt foedus inter ſe, jurisjurandi religione interpoſita (*b*). Sic Booz, teſtatus Deum, promiſit Ruth, ſe ipſam in uxorem ducturum (*c*). Sic Abdias, & Elias (*d*), ſic alii multi, graviore aliqua adducti cauſſa, jurarunt; viros ſanctos tamen in levibus rebus jurejurando uſos fuiſſe non legimus. Itaque ſi audiemus Patres, nulla ſane peccati labe inquinabimur, ſi illos naturae juris interpretes, neſcio: fortaſſe ſaltem dubius interdum haerebit animus, ecquid agere debeamus (1).

(*a*) Gen. cap. 21. (*b*) Ibid. cap. 31. ver. 53. &c.
(*c*) Ruth. cap. 3. ver. 13. (*d*) Lib. 3. Reg. cap. 18. ver. 10. & 15.
(1) I. Antequam progrediatur oratio ad quintum praeceptum, quo vetamur vita hominem ſpoliare, brevem hoc loco doctrinae, quae a Cypriano de eleemoſyna tradita eſt, defenſionem ſubjicio. Non me latet, potuiſſe hoc argumentum percommode ad primum referri praeceptum, ubi ex Catechiſmo Romano *continetur etiam praeceptum fidei*, *ſpei*, *& charitatis*, atque adeo miſericordiae adverſus pauperes adhibendae. Thomas Aquinas tamen, virtute, exiſtimatione, doctrina Theologorum omnium longe princeps, &, qui Thomae valde aſſentitur, Bellarminus Cardinalis (de Bonis oper. lib. 3. de Eleemoſ. cap. 6.) divinum de eleemoſyna juſſum ad quartum praeceptum revocandum eſſe arbitrantur, ob rationes, quas Bellarminus ipſe perſequitur. Romani ejuſdem Cathechiſmi auctores de eleemoſynae officiis tractant in praecepto ſeptimo, in quo illa involute praeſcribi aſſeverant, utcumque ſe vero res habeat, hoc mihi loco opportunum eſt objectum Cypriano crimen refellere.

II. Etſi enim Cypriani libro illo de opere, & eleemoſynis vix quicquam accuratius, aut magnificentius ſcribi poſſit, nihil certe, quod ad excitandam, atque inflammandam pietatem magis idoneum videatur, placuit tamen Barbeyraco ibi quaerere, quod emendandum putaret. Animadverti autem, omnem accuſatoris orationem in tres diviſam eſſe partes, in quarum prima miratur noſter, cur Cyprianus doceat, eleemoſynam plus habere efficacitatis, & virium ad expianda peccata poſt Baptiſmum commiſſa, quam ad illa expianda, quae ante contraximus. Quaſi vero eleemoſyna ante Baptiſmum in recte factis, inquit, poni non debeat, Deoque non placeat; cum tamen

Pe-

Petrus Cornelio, quem nondum salutaris aqua purgaverat, dixerit, *exaudita est oratio tua, & eleemosynae tuae commemoratae sunt in conspectu Dei*. Act. cap. 10. ver. 31. In altera parte, negat, eleemosynam eodem modo expiare peccata, quo haec per Christi sanguinem in Baptismo eluuntur: quare labi Cyprianum vult, qui nullam inter haec duo agnoscit differentiam, atque omne discrimen penitus tollit. Sed praecipua illa est accusatio, quae tertio loco instruitur. Dum enim Cyprianus illis respondet, qui filiorum multitudinem excusant; quo minus benigne faciant indigentibus, affirmat eo plus stipis a Patribus familias erogandum esse, quo plures liberos susceperunt; quod corrector ille, atque emendator vetustatis absurdum existimat, & officiis parentum contrarium. Cap. 9. §. 54. 55. cum not.

III. Qui Ceillierium, seposito studio partium, legerit extremo capite quinto, cernet oculis, eum, quae in Praefatione ad Pufendorfium sua Barbeyracus attigerat, pulcherrime ad unum omnia dissolvisse. Ad illius tamen defensionem bene longam ne verbum quidem Barbeyracus respondit, & contra consuetudinem agendi suam brevitatem hoc loco consectatus est maximam, quin pepercit & contumeliis, quibus identidem Patres opipare, atque humanissime muneratur. Caussam alii divinent: ego & quae primum objecerat, & postea addidit, ordine diluo. Novi Barbeyraci doctrinam, & ingenium; ignoscat mihi tamen, velim, si suspicor, parum ipsum in Christianae religionis scientia profecisse. Eaque caussa est, cum permulta in Veteres congerat, quae volumen libri quidem augere possunt, auctoritatem Patrum labefactare non possunt. Sume in manus illius librum, & certo intelliges, me nihil exaggerare. Narrat Augustinus, a se compertum, *quosdam putare, eos tantummodo arsuros illius aeternitate supplicii, qui pro peccatis suis facere dignas eleemosynas negligunt juxta illud Apostoli Jacobi: judicium autem sine misericordia illi, qui non facit misericordiam. Qui ergo fecerit, inquiunt, quamvis mores in melius non mutaverit, sed inter ipsas suas eleemosynas nefarie, ac nequiter vixerit, judicium illi cum misericordia futurum est, ut aut nulla damnatione plectatur, aut post aliquod tempus sive parvum, sive prolixum ab illa damnatione liberetur*. De Civit. Dei lib. 21. cap. 22. Sic illi rationes subducebant; sed quanto in errore versarentur, docte ostendit Bellarminus, planum multis testimoniis faciens, eleemosynas, nisi cum fide, spe, charitate, poenitentia, aliisque id genus praesidiis, sive virtutibus conjungantur, salutem nemini afferre posse. Ibid. cap 3 Sic Isaias Dei verbis exponens quae sint ad adeptionem justitiae necessaria, principem locum interiori mutationi animi tribuit, *lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere perverse, discite benefacere*, secundo loco eleemosynam collocat, *subvenite oppresso, judicate pupillo; defendite viduam*. Cap. 1. Pauli autem nota est illa sententia: *si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas---- charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Epist. 1. ad Cor. cap. 13. ver. 3. Quem fortasse locum memoria repetens Augustinus, a quo error ille penitus est profligatus, *si pro uno scelere homines*, inquit, *omnia sua distribuerent indigentibus membris Christi, nisi desisterent a talibus factis, habendo charitatem, quae non agit perperam, aliquid eis prodesse non posset. Qui ergo dignas pro suis peccatis eleemosynas facit, prius eas facere incipiat a seipso--- Hanc enim eleemosynam, idest, ut Deo placeat, non faciens animae suae, quomodo dignas pro peccatis suis eleemosynas facere dicendus est?* Ejusd. lib. cap. 27.

IV. Quibus probe cognitis, mirari Barbeyracus desinet, cur initio libri, de quo nunc agitur, dixerit Carthaginensis Antistes: *loquitur in Scripturis divinis Spiritus sanctus, & dicit*: eleemosynis, & fide delicta purgantur. *Non utique illa delicta, quae fuerant ante contracta: nam illa Christi sanguine, & sanctificatione purgantur*. Eleemosynae enim ad salutem non prosunt, nisi fide, spe, & praesertim charitate nitantur (III.). Cum autem haec charitas, tanta saltem, quanta necessaria est ad Dei gratiam ineundam, haud saepe exardescat in iis, qui nondum Baptismo muniti sunt, propterea Cyprianus monuit, peccatorum sordes ante contractas Baptismo esse eluendas. Itaque non solum verbum nullum posuit, quod reprehendi posse videatur, sed etiam ejus doctrinam mirari debemus, scribendique prudentiam, qui omnem illis errandi occasionem praeciderit, qui sibi temere fingere potuissent, non esse Baptismum ad salutem animi necessarium, si tanta sit eleemosynae vis, & auctoritas. Quamquam etsi quispiam ita diligat,

& amet

& amet Deum, ut jam gratiam ejus inierit, salutem tamen nequit acquirere, nisi det operam, ut ex aqua, & Spiritu sancto renascatur.

V. Nam quod Barbeyracus submonet, locum illum, *eleemosynis, & fide delicta purgantur*, allatum a Cypriano, esse in Proverbiis cap. 16. ver. 6., ubi in Hebraeo fonte, & editione latina legitur, *misericordia, & veritate redimitur iniquitas*; in eo aut magnopere errat, aut fucum facit. Neque enim respectum Cyprianus habuit ad caput 16., ut clam Barbeyracus fingit, sed locum, quo utitur, desumpsit ex ver. 27. capitis superioris, qui locus, etsi in Hebraeo fonte desideretur, reperitur tamen apud septuaginta Intepretes, legebaturque a Cypriano in suo exemplari: unde & illum protulit in tertio Testimoniorum ad Quirinum cap. 1. Quod ipsum, si voluisset, discere etiam Barbeyracus ex Pamelii *citationibus* quam facillime poterat. Ecce igitur illum locum ex fide editionis Vaticanae: *ἐλεημοσύναις, καὶ πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτίαι*. Videt autem qui non perdidit oculos, ubi Cyprianus eleemosynam, & fidem invenerit. Quapropter, cum erit commodum, expungere noster poterit urbanum illum jocum: *mais St. Cyprien a trouvè là l' Aumône, & la Foi Evangèlique, où l' on entre par le Batême*, unaque errorem suum consiteri.

VI. Porro nemo ignorat, stipem collatam pauperi actionem genere suo honestam esse, & Deo gratam. Non salutaris est tamen, neque vim habet ad expianda peccata, nisi fide, & charitate fulciatur. Quod si eleemosyna erogetur ab homine, quem peccati sui poeniteat, atque ex Dei motione, & auxilio, illius animum praeparat ad adipiscendam justitiam. Talis autem cum esset Cornelius, qui Augustino interprete, *non sine aliqua fide donabat, & orabat* (de Praedest. SS. lib. 1. cap. 7. num. 12.), observabatque religiosissime naturae legem, & Deum timebat, propterea quas in plebem erogabat pecunias, hac ipsius animum praepararunt ad Christianae fidei, perfectaeque justificationis munus a Deo impetrandum, sive, ut cautissime loquitur Augustinus, *hujus eleemosynae acceptae mundaverunt eum ad quendam modum*. Serm. 149. de Verb. Act. Apost. num 7. edit. Maur. Non sequitur ergo, eleemosynas ad salutem prodesse, nisi cum fide, spe, charitate, caeterisque parandae salutis praesidiis conjungantur. Recte igitur Cyprianus posuit (ex num. IV.) *delicta ante Baptismum contracta Christi sanguine, & sanctificatione purgari*. Abs re igitur Barbeyracus ad exemplum Centurionis vocat, ut Cypriani doctrinam falsitatis coarguat. Verba autem illa Christi, *verum date eleemosynam, & ecce vobis munda omnia*, quae verba paullo post Cyprianus producit, explicatus multos habent, quos apud Bellarminum reperies. Illis vero scitissime usum Cyprianum fuisse, tenebit manibus quisquis legerit totum ejusdem locum, quo nihil planius, neque liquidius video.

Dicamus semel, quod saepius dicendum esset, & quo uno longe plurima disputatoris nostri sophismata profligantur: Barbeyracus saepissime obtrectat Veteribus, quia illi ex divinorum librorum oraculis argumenta depromunt ad informandos mores idonea, ipse autem Lutherianos, Calvinianos, similes secutus, sacris licet litteris apertissime repugnantibus, interpretationes omnes allegoricas rejicit, quas tamen suspiciendas omnino esse innumerabiles Latinorum Theologi demonstrarunt: ut idcirco iis super rebus cum Barbeyraco differere imprudentis hominis sit, qui otio, & litteris abutatur

VII. Cypriani locus alius, qui primum statim subsequitur, & quem praeteriens quidem, sed reprehendit Barbeyracus tamen, & subaccusat, prorsus iste est. *Item denuo dicit* (Spiritus sanctus), sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. *Hic quoque ostenditur, & probatur, quia sicut lavacro aquae salutaris gehennae ignis extinguitur, ita eleemosynis, atque operibus justis delictorum flamma sopitur. Et quia semel in Baptismo remissa peccatorum datur, assidua, & jugis operatio Baptismi instar imitata Dei rursus indulgentiam largitur*. Ubi, illius judicio, Cyprianus vult, eleemosyna deleri similiter peccata, ac per Baptismum, seu divini Filii sanguinem eluuntur Quod ut falso dictum esse possimus cognoscere, mittit nos ad Interpretes, Hammondum nominatim, & Grotium. Sed nihil erat, cur in re, notissima etiam pueris, juberet nos magno capitis labore istorum hominum volumina quaerere, praesertim tam grandi pondere Illud mirabuntur docti, cur non etiam reprehenderit Maximum, eadem fere, quae Cyprianus, locutum (homil. 2. de Eleemos.). Fortasse, inquies, ignoravit. Non re-

repugnaverim. Quandoquidem tamen Cyprianum errasse statuit, facere saltem non potuit, quin erroris & Spiritum sanctum postularet. Similitudo illa quippe, *sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum*, omni ex parte non quadrat. Simile est aliquo modo dissimile. Aqua enim suapte vi, & natura ignem restinguit, eleemosyna vero non suapte natura scelerum maculas eluit, sed tantum vel animos praeparat ad adeptionem justitiae, vel illius praesidio leviorum peccatorum veniam a Deo impetramus, vel caussa est, cur egeni Deum precentur, ut misericordiam peccatis nostris adhibeat. Tunc autem Deus motus inopum precibus vel aberrantes in salutis viam nos revocat, vel justos, & pios perseverantiae dono nos cumulat, vel uberiorem nobis justitiam, tum beatitudinem misericorditer impertitur. Ecce igitur simile illud dissimile. Quod si Deus postulari propterea falsitatis nequit, ne poterit Cyprianus quidem. Respondeo igitur, quod barbare responderet Scholasticus, sed false tamen, & binis verbis, *paritates quatuor pedibus non ambulare*; neque adeo virum sanctum nimis eleemosynae tribuisse. Neque enim illam cum Baptismo quoad omnes partes confert, sed in eo dumtaxat, quod sicut salutaris aquae lavatione anteactae vitae scelera, ac poena eisdem debita nobis condonantur, sic etiam benemerentes de iis, quibus aliena misericordia vivendum est, erratorum veniam modo, quo exposuimus, & liberationem poenae a Deo impetramus. Sed tamen in ea parte excellit eleemosyna, quod salutaris aquae lavatio, ut loquitur Maximus, *semel datur, & semel veniam pollicetur; eleemosynam autem quoties feceris, toties veniam promereris* (ibid.) in eam, quam dixi, sententiam.

VIII. Restat Cypriani ad excusationem parentum responsio; quae bilem fere Barbeyraco commovit. *Sed enim multi sunt in domo liberi.... Atquin hoc ipso operari amplius debes, quo multorum pignorum pater es. Plures sunt, pro quibus Dominum depreceris: multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandae conscientiae, multorum animae liberandae.* Displicet Barbeyraco ista diluendae excusationis ratio: itaque exponit ipse, qua Cyprianus responsione uti debuerat. Mihi contra molestissimum accidit, me non posse totum Chartaginensis Antistitis locum exscribere: est enim paullo longior, sed elegantissimus, atque pulcherrimus, ita ut sola ipsius lectione Barbeyraci evanescat oratio. Primum igitur responsum Cyprianus suum auctoritate ex libro Jobi petita corroborat, unde novimus, plura a Jobo sacrificia pro filiorum numero facta esse. Sic enim post superiora verba, nullam syllabam interponens, progreditur. *Ut in hac vita saeculari alendis, sustinendisque pignoribus, quo major est numerus, hoc major & sumptus est: ita & in vita spirituali, atque coelesti quo amplior fuerit pignorum copia, esse, & operum debet major impensa. Sic & Job sacrificia numerosa pro liberis offerebat, quantusque erat in domo pignorum numerus, tantus dabatur Deo & numerus hostiarum. Et quoniam quotidie deesse non potest, quod peccetur in conspectu Dei, sacrificia quotidiana non deerant, quibus possent peccata tergi.* Rogo nunc: an recte non argumentatur vir sanctus? An tota adhuc vis, ut Barbeyracus scribit, excusationi, qua utebantur parentes, relinquitur?

IX. At Filii ad inopiam redigentur, si quo plures sunt, plus etiam stipis conferri debet pauperibus, specioso illo nomine, ut eorum delicta redimantur. Sed hoc Barbeyracum metu & humanis, & divinis momentis Cyprianus ipse liberavit. Vidimus quippe, eum fateri, quo major est filiorum numerus, eo plures sumptus a Patrefamilias faciendos esse (VIII.). Non vult ergo, ut liberi ad egestatem redigantur, sed tantum, ut pro copiis, & facultatibus opem indigentibus ferant, patrimoniumque cum Christo illi etiam, qui multos liberos susceperunt, communicent. Hujus rei testimonio est totus liber, talibus refertus sententiis. Paullo enim post Cyprianus hortatur parentes, ut Tobiam sibi imitandum proponant, quem cum filio colloquentem inducit his verbis: *prout habueris fili, sic fac: si tibi fuerit copiosa substantia, plus ex illa fac eleemosynam: si exiguum habueris, ex hoc ipso exiguo communica* (Tob. cap. 4. ver. 9.). Ante vero, quam excusationem parentum afferret in medium, dixerat, ex superioribus compertum esse, magnopere illum peccare, *qui se, & filios Christo anteponens divitias suas servat, nec patrimonium copiosum cum indigentium paupertate communicat. Sed enim &c.* Et multo antea; *reditus tuos divide cum Domino Deo tuo: fructus tuos partire cum Christo; fac tibi possessionum terrestrium Christum participem, ut & ille te sibi faciat regnorum coelestium*

par-

LVI. Sed jam videndum, tradiderint ne Majores nostri, licere numquam occidere hominem, qui vi, & injuste armatus in nos invadat. Ponit Barbeyracus quidem hoc in numero Athenagoram, Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Basilium, Ambrosium, & Augustinum, sed obtrectandi magis libidine (animosiorem enim me veritas facit), quam certis, atque exploratis illorum testimoniis permovetur. Quamquam disputatori isti litigandi tam cupido, binis ego verbis os possem occludere. Etsi enim sit verisimillimum, licere homini vitae suae tuendae caussa alteri vitam eripere, id non liquet tamen. Nunc etiam scriptores sunt Theologiae laude praestantes, qui caedem ejusmodi vitio dant, Triumphus cumprimis, Lupus, Vanroy, Piettes, praeterque alios, quos Concina numeravit, & Bertius, Augustini editores ex Maurino-

K rum

participem. Alibi etiam: *in opere, & eleemosynis etiamsi per mediocritatem minus fiat, ipsam voluntatem satis esse*. Testimon. lib. 3. cap. 2. Etsi igitur Cyprianus superiori excusationi responderit, quo pluribus quisque auctus est liberis, eo benigniorem, ac liberaliorem in pauperes esse oportere, vult tamen, ut ea in re facultatum ratio habeatur. Inanis est ergo reprehensoris metus, ne parentes, si Cyprianum audiant, quamprimum patrimonium dissipent, patrimonium praesertim copiosum, & lautum, quo instructi sunt divites, ad quos potissimum illius refertur oratio.

X. Quid plura? Dum Antistes eximius Christianos inflammat ad studium, & alacritatem opitulandi iis, quibus aliena misericordia vivendum est, semel iterum, ac saepius ipsum sibi reprehensoris sui argumentum opponit, illosque eo metu vacuos esse jubet, ne ad inopiam redigantur. Qui vero argumentum dissolvit? Divinis prorsus momentis, quae suo more negligere Barbeyracus non debuit, humanam dumtaxat solitus ubique spectare, atque inculcare prudentiam. Ex tot Cypriani locis unum, qui erit instar omnium indicabo. *Si vereris, & metuis, ne si operari plurimum coeperis, patrimonio tuo larga operatione finito, ad penuriam forte redigaris, esto in hac parte intrepidus, esto securus: finiri non potest, unde in usus Christi impenditur, unde opus coeleste celebratur. Nec hoc tibi de meo spondeo, sed de sanctarum scripturarum fide, & divinae pollicitationis auctoritate promitto*. Tum divina ista promissa, quibus nihil magnificentius, ordine enumerat. Bellarminus, qui merito suo venerationem apud nos magnam habet, ex probatissimis locis, & fontibus exempla multorum commemorat, qui, quo liberalius angustias pauperum suis facultatibus, & officiis sublevarunt, eo copiosius ex divino promisso omnibus vitae praesidiis abundarunt. Loc. cit. cap. 4. Quod similiter facit Stephanus Binettus ex S. J., auctor pii libelli, qui tres ante annos Romae iterum prodiit, sic inscriptus, *il gran valore della Limosina*. Post haec mihi videor, perspicue effecisse, nihil esse in Cypriani doctrina non modo quod possit in difficilium hominum reprehensiones incurrere, sed quod laudari non debeat. Ex quo etiam uberrimum capere iterum documentum possumus, litigandi magis, quam veri quaerendi studio ad scriptionem libri sui Barbeyracum accessisse. Errare vero ipsum, generatim dicentem, misericordiae officia, quae Patresfamilias filiorum caussa adversus inopes adhibent, filiis ipsis nihil prodesse posse, nisi ex praescripto Evangelii vitam agant, (ibid. §. 55.), tacente me, facile omnes intelligunt.

rum Familia (*a*). Quod caput eſt, conſentiunt quoque Heterodoxi Theologi, & in his nominatim Fortſchius, in Tubingana Academia Profeſſor, qui, ut ipſe Barbeyracus narrat (*b*), docere inſtituit, Chriſtianae charitatis legem non ſinere, ut illos, qui vitam noſtram injuria appetunt, occidamus (*c*), propendetque in eandem ſententiam Jo. Ludovicus Praſchius in opuſculo *de lege charitatis*, quod deinde ab argumentis Chriſtiani Thomaſii expedivit. Ex his poſſem efficere, nihil Patres in iſto genere deliquiſſe, neque longius, quam veritas patitur, progreſſos eſſe. Perdifficile eſt enim, in repentino praeſertim caſu, ita ſe, & iracundiae impetum cohibere, divina ut charitatis lex non frangatur, quemadmodum pluribus diſputat auctor recens Gallici Catechiſmi, tota Europa notiſſimus. Rarum omnino Stoicorum genus, qui tam pulchre ſibi imperare didicerint. Forte Lauſannam omnes, & Groningam ſe receperunt.

LVII. Sed ſerio, & preſſius. Si in ſola, & nuda rei contemplatione verſeris, licet ſane, mea ſententia, defendendae vitae cauſſa alterum interimere, modo cautio adhibeatur, quae debet. At ipſam actionem ſi ſpectes, vix unquam fieri poteſt, ut ne aliqua ulciſcendi libidine animus concitetur. *Male cuncta miniſtrat impetus*, canit in Thebaide Statius (*d*). De actione autem ſolliciti potiſſimum erant Patres ſanctiſſimi, qui Chriſtiani hominis officia tradebant, populoſque ad vitae integritatem, atque innocentiam informabant. Itaque vel caedem rejiciunt, quae cum ulciſcendi cupiditate conjungitur, vel conſulunt ſolum, non praecipiunt, ut a repellenda vi temperemus, vel etiam nihil eorum narrant, quae ipſis Barbeyracus affingit. Ego certe loca omnia, quae non Barbeyracus ſolum, ſed noſtri Theologi afferunt, attentiſſime expendi, & nullum inveni, audacter dico, qui commodiſſime intelligi nequeat. Achillis inſtar, qui quem haſta transfixerat, eadem Telephum ſanitati reſtituit, Tertullianum accuſator ipſe excuſavit. In opere multis illum vexat, in Indice operis ad verbum *Défenſe*

de

(*a*) Not. ad epiſt. 47.
(*b*) Not. 1. ad §. 14. cap. 5. lib. 2. de J. N. & G. edit. Gallicae.
(*c*) Differt. 1. in Offic. S. Ambroſ. §. 37.
(*d*) Lib. 10. ver. 617.

de ſoi-même, a crimine abſolvit hoc modo. *Défenſe de ſoi même, entiérement condamnée par la plûpart des Peres*. IV. 37. (ibi agit de Athenagora). VI. 34. *& ſuiv.* (hic de Tertulliano) ..... *ſi on ne peut l'exercer ſans quelque mouvement de Vengeance*. VI. 34. Hoc loco, ut deſignavi, de Tertulliano ſermonem habet; in Indice igitur profitetur, a Tertulliano alterius caedem damnari, ſi abſque ulciſcendi libidine fieri nequeat. Poteſt autem Tertullianus, qui haec ſentiat, reprehendi? Malum! Plura nunc adderem; ſed ſtudio brevitatis impedior.

LVIII. Athenagoram adhuc facilius purgabo. Sat eſt enim ejus locum, quem gallice, latineque Barbeyracus deſcripſit (*a*), in veritatis lucem proferre. Locum igitur ecce tibi ex editione Maurina, ideſt accuratiſſima: *haec*, pecuniam, ignominiam, damna, *contemnimus*, *quamvis ſtudio digna multis videantur; ut qui non modo non repercutere*, *nec invadentibus*, *& rapientibus diem dicere*, *ſed illis*, *etiam ſi colaphum inflixerit*, *alteram capitis partem percutiendam praebere*, *his autem*, *ſi tunicam abſtulerint*, *pallium ſuperaddere didicerimus*. Numquid haec non a Chriſto didicimus? Quis igitur criminari Athenagoram poterit, niſi qui Evangelium eadem opera criminetur? Numquid praecepta ſolum diſcuntur, conſilia non diſcuntur? Numquid Chriſti verba, etſi conſilium dent, ſi intelligantur de opere, jubendi tamen vim non habent, ſi animi praeparatio ſpectetur? Nempe, ſi quis nobis eripiat tunicam, non ſemper jubemur illi dimittere & pallium, neque alteram genam offerre, ſi quis nos caedat; nihilominus ita animati eſſe debemus, ut citius pallium dimittamus, genamque aliam offeramus, quam ulciſcamur injuriam, aut legem, quae de charitate eſt, violemus. Scio, Barbeyracum valde laborare de cive, parum de homine Chriſtiano. Audiat igitur Auguſtinum, Chriſtiani etiam hominis officia religioſiſſime exſequentem. *Sunt iſta praecepta patientiae ſemper in cordis praeparatione retinenda*, *ipſaque benevolentia*, *ne reddatur malum pro malo*, *ſemper in voluntate complenda eſt* (*b*). Quae cum ſint, ecquis mihi Athenagoram carpat, niſi qui *malunt* iſta *excogitare*, *quam*

 diſ-

(*a*) Cap. 4. § 37. cum notis.
(*b*) Epiſt. 138. ad Marcellin. num. 14. edit. Maur.

discere (*a*)? Immo quis non miretur cautionem, atque prudentiam, qua nostrorum caussam dicit?

LIX. Idipsum statuo de Cypriano, qui epistola 57. secundum editionem Pamelii haec ad Cornelium scripsit, dum Gentiles in Dei servos furere, ac saevire incepissent. Diabolus *retusus adunati exercitus fide pariter, & vigore, intellexit, milites Christi vigilare jam sobrios, & armatos ad praelium stare, vinci non posse, mori posse, & hoc ipso invictos esse, quia mori non timent, nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, sed prompte & animas, & sanguinem tradere*. Divine ista prorsus Cyprianus. Nam Christiani cum religionis caussa a potestate publica tunc temporis quaererentur ad necem (haec quippe res in ea epistola agitur) non debebant immissos satellites, carnificesque perimere, sed fortiter mortem oppetere. Id enim religionis utilitas omnino efflagitabat. Vel igitur fugiendum erat, vel moriendum. Quod si tam salutaris doctrina adversario displicet (*b*), cur reprehendit similem viri sancti sententiam in superiore epistola 56. ad Thibaritanam plebem? Nempe homo acutus non vidit, quemadmodum ne sapientissimam quidem Luciferi vestri, Auditores, vocem in libro ad Constantium: *non occidere, sed occidi propter Dei filium docemur*, cum scilicet vexationis tempora incidunt, periclitaturque religio.

LX. I. Lactantium nolo ego explicare; Buddaeo ipsi, Lutheriano scriptori, Grotio quoque, & Gronovio de ejus doctrina permitto judicium. Summa enim aequitate utendum puto, ne videar caussae diffidere. Buddaeus igitur hunc in modum (*c*). *Obligationem ad patientiam Christianam Lactantium ultra, quam par est, extendere, quod Borbeyracus illi porro objicit, dubito, an ex verbis ejus, quae lib. 6. Divin. Instit: cap.* 18. *leguntur, probari queat. Corrigit enim solum illud Ciceronis, docentis*, eum virum bonum esse, qui prosit omnibus, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus injuria. *Namque & injurias patienti ferendas animo docet, nec nocendum iterum illis, a quibus sumus lacessiti. Id, quod prorsus cum eo convenit,* quod

(*a*) Augast. ibid. num. 11. (*b*) Cap. 8. §. 40.
(*c*) Nota ad §. 5., ut supra apud nos §. 3.

quod a nobis fieri vult Servator optimus Matth. V. 39. *seqq.* Porro Barbeyracus in sua illa adversus Patres Philippica (*a*) non alia Lactantii attulit testimonia, quibus litem, & accusationem instrueret, nisi ex capite illo 18., de quo mentionem Buddaeus fecit.

II. At enim Lactantius, fallaci pietatis specie circumventus, statuit virum bonum neque ad militiam, neque ad mercaturam applicare se posse. Quanto magis nefas crediderit defendendae vitae studio vim alienam repellere (*b*)? Valde tota ista de re Buddaeus dubitat. Ac revera nemini noster vetuit aut militare, aut mercaturam facere, quasi ipsa per se militia, & mercatura crimini vertendae essent; tantum ait, se non videre, quamobrem Christianus vir justitiae appetens, & summae cujusdam, perfectaeque virtutis studiosus, hisce in artibus, periculorum plenis, exercere se debeat, nisi forte necessitate impellatur, aut jussu eorum, qui praesunt. Ita enim Lactantius: *cur enim naviget, aut quid petat ex aliena terra, cui sufficit sua? Cur autem belligeret, ac se alienis furoribus misceat, in cujus animo pax cum hominibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis mercibus, aut humano sanguine delectabitur, qui nec lucrum sciat adpetere, cui sufficit victus, & non modo ipse caedem facere, sed interesse facientibus, ac spectare ducat nefas. Sed omitto ista: quoniam fieri potest, ut vel invitus ad haec subeunda cogatur* (*c*). Vel nuda ista verba, quae extremo loco sunt posita, *sed omitto ista, quoniam fieri potest &c.*, mirifice Lactantium non purgant solum, sed prudentissimum vitae magistrum ostendunt: Quid enim per naturae, & divinam legem liceat, quid per consilia non liceat, distincte, illuminateque significat. Sed is tamen, alios secutus Patres, cum gravissima, quae ex bellis, & nimia cupiditate pecuniae pericula imminent, cogitatione prospiceret, fidelium Christi animos ad adeptionem bonorum coelestium, quae magna, & vera bona sunt, inflammabat, cupiditatum fibras evellebat omnes, missaque propterea naturae lege, nobiliora Evangelicae doctrinae consilia exponebat. Barbeyracus de consiliis parum sollicitus, magnus

(*a*) Cap. 9 §. 2. cum not. (*b*) Ibid. §. 4.
(*c*) Lib. 5. D. Instit. cap. 17.

gnus vero ſyllabarum auceps, id totum ſtatim carpit, exardeſcitque iracundia. Sed multo aliter Grotius, paullo mitius, atque incorruptius ſolitus judicare de Patribus. *Lactantius justum* [*qualem vult eſſe Chriſtianum*] *negat belligeraturum, ſed ita, ut ſimul navigaturum neget* (*a*). Cur? *Quia* videlicet, ut commentatur Grotii interpres Gronovius (*b*), *aut lucri fere, aut voluptatis, aut bellandi cauſſa navigatur, quorum omnium ergo nihil ſuſcipiebat primaevus ille rigor* hominum, etiam conſilia Chriſti, nedum praecepta, captantium (1).

LXI.

(*a*) Lib. 1. de J. B. & P. §. 9. num. 4. cap. 2. (*b*) Hic

(1) I. His non contentus reprehenſor Patrum damnari, ac rejici vult tum alia Lactantii loca, tum ſuperiorem illum, ubi ex ipſo Lactantio juſtus, & ſapiens vir *intereſſe* caedem *facientibus, ac ſpectare ducit nefas*. Cap. 9. §. 3. cum not. & ſeqq. Ejuſdem peccati coarguerat antea Athenagoram, Minutium Felicem (cap. 4. §. 37. cum not.), atque Tertullianum. Cap. 6. §. 25. Potuiſſet adjungere alios. Sed Tertullianus, ut hinc exordiar, quam juſte accuſetur, cognoſces ex ſola lectione loci, quem Barbeyracus vituperat. *Bonum eſt, quum puniuntur, nocentes. Quis hoc, niſi nocens negabit? Et tamen innocens de ſupplicio alterius laetari non poteſt: quum magis competat innocenti dolere, quod homo, par ejus, tam nocens factus eſt, ut tam crudeliter impendatur*. En Tertulliani ſententiam. De ſpectac. cap. 18. Quod hic verbum non ex Evangelii regula? Non ex ipſa ratione naturae? Neque enim licet, aut valde humanum eſt ex aliorum morte, quamvis illis debita, laetitiam, voluptatemque colligere. Multo minus exſatiare veluti oculos licet ipſorum ſupplicio, & ſanguine.

II. De Athenagora, Minutio, & Lactantio legitime ut ferret judicium, exploratum Barbeyraco eſſe debuit, quintum Decalogi praeceptum de non occidendis hominibus non ſolum vetare, ut manus contineamus a caede, ſed multas etiam, eximiaſque virtutes in eo includi, tanquam finem videlicet, cujus cauſſa nobis praeceptum datum eſt. Sed in primis humanitatem, manſuetudinem, lenemque, ac mitem animum poſtulat, virtutes Filio Dei, Servatorique noſtro chariſsimas, quarum ſe illis etiam verbis profitetur doctorem, *diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde*. Matth. cap. 11. Ab hac vero lenitate animi, humanitatiſque virtute cum abſint curioſi illi, qui cruentis interſunt ſpectaculis ſponte ſua, & ſine neceſsitate, immo cum ferocis cujuſdam ingenii indicia dent, propterea Veteres dicere ſoliti, Chriſtianos nefas ducere ad capitalia ſupplicia confluere. Hinc illud Athenagorae: *quos ſciunt ne juſtae quidem caedis adſpectum ſuſtinere, quis eos accuſaverit vel occiſi hominis, vel vorati?* Legat. pro Chriſt. num. 35. Et illud Minutii: *nobis homicidium nec videre licet, nec audire*. In Octav. cap. 30. Accedit; quod illorum temporum Chriſtiani paullo, quam nos, ſempiternae ſalutis cupidiores ad ſummam, cumulatamque virtutem, quae perfectio Evangelica eſt, vel ipſi magno ſtudio contendebant, vel certe a Patribus inflammabantur; unde non immerito, nec ſine cauſſa juſtae etiam caedis adſpectum refugiebant, qui non ſatis cum humanitate, neque cum ſummae profeſsione virtutis conjungitur. Eſt enim, ut dixi, non obſcurum animi vel curioſi, vel levis, vel parum mitis, immo etiam ferocis indicium, praeſertim ſi quis cum voluptate fundi humanum ſanguinem videat. Quare veriſsime dictum Lactantio in loco, quo detruncato Barbeyracus uſus eſt, eum, *qui hominem, quamvis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat, conſcientiam ſuam polluere*. Inſtit. divin. lib. 6. cap. 20. Eccleſia etiam Clericos nominatim vetuit funeſtis reorum ſpectaculis intereſſe, & ſecundum Matiſconenſium Patrum Concilium eiſdem Clericis, ad patibuli locum accedentibus, ut cruciatu miſerorum, atque ſupplicio oculos paſcerent, honoris periculum minacibus verbis denunciavit.

III.

LXI. I. Sed pergit Grotius, & quasi divinasset id, quod evenit, praeter Lactantium, ad defendendum Tertullianum aggreditur. Age dum igitur, quae crimina adversus Tertullianum Barbeyracus congessit (*a*), Grotii ipsius disputatione elevemus, proficiamusque alienis laboribus. Orationis longitudo compensata rerum pulchritudine minuetur. Ergo *idem ille Tertullianus, qui alibi supplicia capitalia minus probare videtur, dixit* (*b*), bonum est, quum puniuntur nocentes. Quis hoc, nisi nocens, negabit? Et de militia haesitat. Nam libro de Idololatria, quaeritur, inquit, an fideles ad militiam converti possint, & an militia ad fidem admitti. *Et videtur eo loco propendere in eam sententiam, quae militiae adversatur. At libro de Corona Militis, cum quaedam adversus militiam disputas-*

III. Ad haec Athenagoras, & Minutius Ethnicorum calumnias, Thyestaeas epulas, seu quotidianas caedes hominum nostris passim exprobrantium, diluebant. Itaque hac ratione utebantur. Nobis virtutis studio interdictum etiam putamus interesse cruentis spectaculis, ab iis abhorremus, ea mansuetudinem a Christo edocti refugimus. Quanto magis alieni erimus ab occidendis hominibus? Qui ergo tam detestabilis sceleris accusari a vobis possumus? Ita fere Athenagoras superioribus verbis. Ex cujus, unaque Minutii Felicis consilio in diluenda calumnia, nemo non intelligit, hoc unum illos velle, ne solere quidem Christianos ob constans, & singulare virtutis studium ad ea confluere spectacula. Quod si eam rem Christiani suapte natura criminosam putassent, neque unquam honesta aliqua caussa excusari posse duxissent, qui tanto ardore animi Martyrum mortibus, suppliciisque intererant? Qui statim illorum corpora curabant, ossa, sanguinem, cineres colligebant? Superiorem Athenagorae locum subsequuntur haec verba, quae etsi Barbeyracus siluerit, ego tamen candide affero. *Quis gladiatorum, vel ferarum ludos, praesertim si a vobis dentur, non plurimi faciat? Nos autem cum homicidium spectare pene idem esse arbitremur, ac perpetrare, nuntium his spectaculis remisimus. Caedem igitur quomodo perpetrare possimus, qui eam ne spectandam quidem ducimus, ne scelus, & piaculum nobis impingamus?* Loquitur hoc loco Athenagoras de ludis gladiatoriis, qui delectandi populi caussa per ea tempora praebebantur, quibus certe Christianus vir interesse sine peccato non potest. Sunt enim ludi ejusmodi perspicua crudelitatis, & ferociae argumenta, Christiana propterea lege sublati de medio.

IV. Multa alia dici a me possent, quibus & Barbeyracum obruerem, & defenderem, ac propulsarem injuriam, illatam Athenagorae, Minutio, Tertulliano, Lactantio. Exploratum est enim, verbi gratia, veterum Romanorum leges duriores aliquanto fuisse, quam Christiana lenitas pateretur, quod vel ex solo Silaniano Senatusconsulto cognoscitur, cujus atrocitatem Adrianus deinde Imperator mitigavit. Decretum quippe fuerat, ut, si quis domi occisus esset, de servis omnibus, qui eandem domum incolerent, quaestio haberetur, capitalique omnes afficerentur supplicio. Nihil igitur mirum si ab illis spectaculis, in quibus regnabat crudelitas, Christiani abhorrerent. Sed nolo plura. Nam quod superiore illo loco (II.) de ludis disserens gladiatoriis, & argumentationis vela colligens brevissime interposuit Lactantius, *non licere justo accusare quemquam crimine capitali*, hoc vel intelligi potest, ut satis commode expositum a Ceillierio video (cap. 6. sub fin.), de accusatione, quae a crudelitatis instinctu oriatur, vel de crimine, quod probari non potest, vel simili quadam alia ratione, ac via.

(*a*) Cap. 6. §. 6. &c. 25. &c. (*b*) De Spectac. cap. 19.

taffet, *mox distinguit*, *qui ante Baptismum militabant*, *ab iis*, *qui post Baptismum nomen dant militiae*. Plane, *inquit*, si quos militia praeventos fides posterior invenit, alia conditio est, ut illorum, quos Joannes admittebat ad lavacrum; ut Centurionum fidelissimorum (fidelissimum legas, velim, cum Clerico), quem Christus probat, & quem Petrus catechizat: dum tamen suscepta fide, atque signata, aut deserendum statim sit, ut multis actum, aut omnibus modis cavillandum (*idest cavendum*), ne quid adversus Deum committatur (*a*). *Sensit ergo*, *illos post Baptismum in militia permansisse*; *quod sane minime facturi fuerant*, *si intellexissent*, vel accepissent a Sacerdotibus, *militiam a Christo interdictam*; *non magis*, *quam aruspices*, *magi*, *& alii vetitarum artium professores in sua arte post Baptismum manere permissi sunt*. *Eodem libro militem quendam*, *& quidem Christianum laudans*, o militem, *inquit*, gloriosum in Deo (*b*)!

II. *Secunda observatio est*, *quod militiam Christiani saepe aut improbarunt*, *aut evitarunt ob temporum circumstantias*; *quae vix ferebant*, *militiam exerceri sine actibus quibusdam cum Christiana lege pugnantibus*. *In Litteris Dolabellae ad Ephesios*, *quae apud Josephum extant*, *videmus*, *Judaeos ab expeditionibus militaribus immunitatem postulasse*, *quod externis permixti non satis ritus legis suae observare possent*, *& quia sabbatis ferre arma*, *& magna itinera facere cogerentur*. *Atque easdem ob caussas a L. Lentulo missionem Judaeos impetrasse*, *docet idem Josephus* (*c*), *alibique narrat*, *cum Judaei Roma urbe jussi essent excedere*, *quosdam militiae adscriptos*, *alios punitos*, *quod militare nollent patriarum legum reverentia*; *ob eas scilicet*, *quas diximus*, *caussas*: *quibus accedebat interdum tertia*, *quod adversus populares suos pugnandum haberent*: at nefas in populares suos arma sumere (*d*); *tunc scilicet*, *cum populares ob patriae legis observationem periclitabantur*. *Quoties vero haec incommoda cavere poterant Judaei*, *militabant etiam sub externis Regibus*, *sed* perstantes in patriis institutis, & ex eorum praescripto viventes: *quod pacisci prius solebant*, *eodem Josepho auctore*. *His periculis simillima sunt*, *quae Tertullianus militiae suorum temporum*

(*a*) Cap. 11. (*b*) Cap. 1. (*c*) Antiq. Judaic. lib. 14. cap. 10. §. 12. 13.
(*d*) Joseph. in Vita sua §. 6.

porum objicit, ut libro de Idololatria, non convenit ſacramento divino, & humano, ſigno Chriſti, & ſigno Diaboli (*a*), *quia ſcilicet per Deos Gentium, Jovem, Martem, atque alios*, & per Genium Caeſaris *jurare milites jubebantur. Libro autem de Corona Militis*: excubabit pro Templis, quibus renuntiavit, & coenabit illic, ubi Apoſtolo non placet, & quos interdiu exorciſmis fugavit, noctibus defenſabit? *Mox*: quanta alia in delictis circumſpici poſſunt caſtrenſium munium, tranſgreſſioni interpretanda (*b*)?

III. Atque haec Grotius, aequiſſimus rerum, & ſententiarum, quae in Veterum leguntur operibus, interpres, atque aeſtimator. Si ergo Africanus ſcriptor paullo interdum durius de belli artibus loquitur, non ipſam per ſe militiam peccati coarguit, ſed ab ea Chriſtianos deterret, quod vix, ſalva religione, & officio, militari poſſe illis temporibus videretur. Ubi cum Grotio concinit Joannes etiam Clericus, cujus judicio, id *re ipſa Ethnicis Ducibus, ſine magno periculo fieri non poterat* (*c*). Alioquin ſi militiam a Chriſto interdictam, ſi natura ſua vitioſam Tertullianus putabat, quomodo homines, qui ante Baptiſmum nomen illi dederant, perſtare in eo vitae inſtituto permiſit? Quod enim cum Chriſtiana religione non convenit, nullo id tempore ferri debet. Vel ſolus hic locus mirabiliter proficit ad Tertullianum purgandum. Quum enim dixiſſet, deſerendam eſſe, *ſignata, aut ſuſcepta fide, militiam*, actutum quaſi ſententiam revocans, *aut omnibus modis cavillandum*, inquit, *ne quid adverſus Deum committatur*: ne quis vero eo uſque abutatur militia, ut aut *delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem* ſibi *promittat*, adjungit, *aut noviſſime perpetiendum pro Deo*, ſi nempe aliquid fieri jubeatur, divinae religioni contrarium. Non ergo Chriſtianis viris a militia Tertullianus metuit, ſed ab Idololatria. Atque hinc paullo infra: *de prima ſpecie quaeſtionis etiam militiae ipſius illicitae, plura non faciam, ut ſecunda reddatur, ne ſi omni ope expulero militiam, fruſtra jam de corona militari provocarim. Puta denique licere militiam uſque ad cauſſam coronae*. Qui locus, ſi acute cernas, tripartitum tibi argumentum ſuppeditat, unde facile in-

(*a*) Cap. 19. (*b*) Cap. 11.
(*c*) H. Eccleſ. ad an. 174. num. 13.

intelligas, militiam quandam esse, quae Christianos non dedecet, quae nimirum ab Idololatriae abest periculo. Metum hunc, quo magnopere Tertullianus laborat, tolle, & jam militare Christiano homini per Tertullianum licebit.

IV. Et vero primo ejusdem libri capite haud paucos fuisse milites Christianos commemorat, quos non ob militiae studium, sed ob coronam solum reos facit. In Apologetico autem Christianorum persona sumpta, objectum illis ignaviae, & inutilium civium crimen sic diluit: *navigamus & nos vobiscum, & militamus* (*a*). Et ante jam dixerat: *externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa* (*b*). Quin etiam eodem isto libro, & ad Scapulam memoriae prodidit, M. Aurelium Imperatorem in expeditione Germanica nostrorum militum precibus imbres a Deo exoptatissimos impetrasse (*c*). Quae Tertulliani loca tantum habuerunt apud Grotium ponderis, ut illis doctus vir sibi utendum putaverit, quo persuaderet, ex publica veteris Ecclesiae doctrina licere Christianis hominibus ad belli studia se applicare (*d*). Sed de Tertulliano jam diximus (1):

LXII. De Ambrosio minus laboro. Vetus sententia est, Thomae Aquinatis approbatione firmata, & vel Pufendorfii munita consensu, eum, qui sine homicidii scelere se velit defendere, non id directo agere, ac spectare debere, ut alteri noceat, sed ut illatam vim a suo corpore arceat, seque praestet incolumem. Hoc unum Ambrosius vult, cum in tertio de Officiis cap. 4., Ciceronis quaestione proposita, respondet: *mihi quidem, etsi praestabilius communi videatur usui, sapientem de naufragio, quam insipientem evadere, tamen non videtur, quod vir Christianus, & justus, & sapiens quaerere sibi vitam aliena morte debeat, utpote qui, etiamsi in latronem armatum incidat, ferientem referire non possit, ne, dum salutem defendit, pietatem contaminet*. Nemo igitur debet in vi repellenda alterius sibi mortem proponere, sed tantum defensionem vitae suae:

alio-

(*a*) Cap. 42. (*b*) Cap. 37.
(*c*) Apolog. cap. 5. ad Scap. cap. 4.
(*d*) Ibid. §. 10. num. 2.
(1) Non omittam tamen, Sigismundum Jacobum Baumgartenem annis 1741. & 1745. Halae Magdeburgi *examen* edidisse *sententiae veterum Christianorum de militia*.

alioquin contaminabit pietatem. Praeterea licet quidem opinione Ambrosii latroni vitam eripere; perfectae est tamen virtutis, Evangelicumque consilium non *referire*. Ita ille alibi docuit, cum Petri factum expenderet. *Lex referire non vetat, & ideo fortasse Petro duos gladios offerenti, satis est, dicit* Christus, *quasi licuerit usque ad Evangelium, ut sit in lege aequitatis eruditio, in Evangelio bonitatis perfectio* (*a*). Gladium igitur in vagina recondere non praeceptum Ambrosio est, sed mite, ac salutare consilium, quod lex Evangelica, veteri lege praestantior, attulit. Adhuc Barbeyracus repugnat? Atqui Ambrosii ejusdem testimonio injuste faciunt, qui a sociis, si quidem possunt, non propulsant injuriam. *Neque in inferenda*, ait, *sed in depellenda injuria lex virtutis est. Qui enim non repellit a socio injuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille, qui facit. Unde sanctus Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicae fortitudinis. Nam cum vidisset Hebraeum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit, ita ut Ægyptium sterneret, atque in arena absconderet. Salomon quoque ait*: eripe eum, qui ducitur ad mortem. *Unde igitur hoc vel Tullius, vel etiam Panaetius, aut ipse Aristoteles transtulerint, apertum est satis* (*b*). Ambrosiani loci particula relata est in can. *non inferenda*, caus. 33. quaest. 3., neque ullo modo ambigere possumus, quin, si, Ambrosio judice, fas sit sociorum vitae, & saluti ea ratione consulere, liceat etiam a seipso injuriam, ac vim propulsare.

LXIII. Augustinum tot sunt interpretati Theologi, ejusque sententiam tam multi in bono lumine collocarunt, plane ut verear aliquid operae in re prorsus inutili ponere. Consuli tamen, praeter caeteros, Laurentius Bertius poterit, qui & Basilium, virum sanctissimum, accurate expiavit, & quae in hac caussa illius opinio sit, dilucide exposuit (*c*). Sed enim Basilius bella omnia criminatur, & tanquam mollem, atque enervatam Veterum disciplinam redarguit, qui caedes in bello admissas inter peccata non referebant. Quasi vero multum de legis severitate diminueret, militibus, qui caedem fecerint,

 trien-

(*a*) Lib. 10. in Luc. cap. 22. num. 53.
(*b*) De Offic. lib. 1. cap. 36.
(*c*) De Theolog. Discipl. lib. 23. cap. 19.

triennium communione interdicit. Poena sane vel injusta, vel ex qua necessario sequitur, bellum esse vituperabile per seipsum. Qua in oratione adversarii (*a*) quot verba, tot fere errores, & aculei. Recito Basilii locum. *Caedes in bellis factas Patres nostri pro caedibus non habuere, iis, ut mihi videtur, qui pro pudicitia, ac pietate pugnant, ignoscentes. Fortasse tamen recte suadebitur, ut ipsi, cum manus eorum purae non sint, per tres annos a sola communione abstineant* (*b*). Principio hoc saltem ex Basilio liquet, Patres neque bellum, neque militiam accusasse, quod adversus Barbeyracum facit, passim scribentem, nihil Patres in jure naturae, nihil in morum scientia vidisse. Deinde ubi vel tenuissimum improbati a Basilio belli vestigium? Ubi Veterum sententiam *traite d'indulgence, ou de relâchement*, tanquam mollem, atque enervatam redarguit? Tantum, exposita breviter illorum doctrina, ait, *recte fortasse suasum iri*, ne triennio communicent. Consilium dat, idque timide, atque perplexe, non legem imponit, nec militum animos pollutos, sed manus non puras dicit. Quod jamdudum admonuerant Canonum Basilianorum interpretes Balsamon, Zonaras, & Alexius Aristenus. Si militum Basilius caedes criminosas putasset, nae multo illis graviorem, diuturnioremque poenitentiam inflixisset. An igitur reprehensione dignus, quod militum manus puras non censeat? Si ais, in reprehensionem incurret & Deus, qui Davidem, etsi *bella Domini praeliatus fuisset*, ab aedificando sibi Templo prohibuit, quod manus suas hominum sanguine polluisset. *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti: non poteris aedificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me* (*c*). Si noluit Deus, Davidem sibi Templum construere, quia hominum sanguinem fuderat (fuderat autem, Deo ipso jubente), non potuit Basilius militum manus non puras dicere, rescribereque Amphilochio, recte fortasse suaderi illos posse, ut si caedem admiserint, divino, atque sanctissimo Christi corpore triennium non vescantur? Quam enim vocat Barbeyracus poenam, poenitentiam appellasset, mallem. Nam *omnis poena, si justa est*, & pro-

(*a*) Cap. 11. §. 6. & 7.
(*b*) Epist. 188. quae est 1. Canon. can. 13. edit. Maurin.
(*c*) Paralip. lib. 1. cap. 21. ver. 8.

proprie loquimur, *peccati poena est*, & *supplicium nominatur*, scribit Augustinus de libero arbitrio (*a*). Quas vero poenitentias dicimus, illae ex more Ecclesiae hominibus etiam culpae insontibus infligi solent. Plena est exemplorum antiquitas. In lege veteri mulieres post partum stato dierum intervallo ab ingressu Templi arcebantur: nunc quoque pii Sacerdotes illas suadent, ut eo ritu, quem purificationem vocant, expientur. An vero parere peccatum est?

LXIV. I. Molestius fero, Hieronymum, Ambrosium, Joannemque Chrysostomum objurgatos a Barbeyraco fuisse (*b*), quasi caedem sui ipsius probaverint, expediendae pudicitiae gratia. Sic enim, nisi me fallit animus, parum sibi auctor cohaeret. Nam in Gallicis ad Pufendorfium commentariis vult, prorsus licere foeminae pudicitiae suae insectatorem occidere (*c*). Qui vero hoc tradit, an is sine sententiarum pugna ire inficias potest, fas esse illi foeminae violentas sibi manus inferre? cur enim occidere pudicitiae praedonem possit, seipsam non possit? Intellexit Barbeyracus, opinor, videri haec posse inter se repugnantia: itaque paullo post, ut reprehensiones doctorum effugeret, monuit, magnam esse in his duabus quaestionibus differentiam (*d*). Crederem, si rationes afferret; sed quando nullas attulit, in sola ipsius auctoritate acquiescere nequeo. Ego autem, quid inter utramque quaestionem intersit, non video. Si enim peccat mulier, quae, ut pudicitiam in tuto ponat, seipsam interficit, cur non peccabit, si pudicitiae insidiatorem obtruncet? Minus fortasse peccatura est, si illum potius, quam se occidat, sed peccatura est tamen, si quidem peccatum est sibi manus inferre. Adde, quod caede sui ipsius sempiternae libidinosi hominis saluti prospiciet. Barbeyraci ergo accusatio cum principiis, quae ipse posuit, non satis consentit. Caput scalpat, ungues rodat; exitum certe reperire non poterit.

II. Sed quid diutius haereo? Quod enim attinet ad Ambrosium, imponit Barbeyracus lectoribus. Idque ut omnes perspiciant, locum ipsius describo, latine a me fideliter redditum. *S. Ambrosius, dum quaestioni respondet, quae ipsi movebatur, liceat*

(*a*) Lib. 3. cap. 18. (*b*) Cap. 15. §. 7.-- 12.
(*c*) Lib. 2. cap. 5. not. 1. ad §. 11. (*d*) Ibid. not. 2.

liceat ne sibi mortem inferre eo consilio, ut ne incidamus in persecutorum manus, postquam sibi argumentum proposuit inde ductum, quod Scriptura Christianis se occidere prohibet, nihil haesitans decidit, statuitque, licere id virginibus, quae contra violentiam aliter nequeunt pudicitiam suam defendere. Ratio, quam affert, illa est, quod exstat exemplum cujusdam virginis Martyris, nimirum S. Pelagiae. Eam vero dicentem inducit: Deus remedio non offenditur, & facinus fides elevat. *Post quae eloquentiam suam insumit in eo laudando facinore* (*a*). Affert quidem Barbeyracus in notis Ambrosii locum, sed fallit tamen. Non enim mota Ambrosio quaestio fuerat, an possimus nobis mortem inferre, ut insectatorum elabamur e manibus, sed sciscitabatur *soror sancta, quid super eorum meritis existimandum sit* (videtis, multum inter haec interesse), *qui se praecipitavere ex alto, vel in fluvium demerserunt, ne persecutorum inciderent manus, cum Scriptura divina vim sibi Christianum prohibeat inferre*. Respondet autem e vestigio Ambrosius: *& quidem de Virginibus in necessitate custodiae constitutis enodem habemus assertionem, quum martyris exstet exemplum*. Nolo hic verba illa perpendere, *enodem habemus assertionem*, quae in varias partes trahi non difficulter possunt. Hoc scire aveo, ubi Ambrosius nihil haesitans statuat, posse mortem sibi consciscere virgines, quae adversus vim aliter nequeunt pudicitiam suam defendere? Caute dumtaxat sorori respondet, quid super earum meritis existimandum sit, quae feruntur se se occidisse, constare ex facto, aut potius exemplo Pelagiae. Pergit igitur, nullis interjectis verbis: *sancta Pelagia apud Antiochiam quondam fuit, annorum fere quindecim, soror virginum, & ipsa virgo. Haec primo domi classico persecutionis inclusa, cum se a praedonibus fidei, vel pudoris circumsederi videret, absente matre, & sororibus, vacua praesidio, sed Deo plenior: quid agimus, inquit, nisi prospicias, captiva virginitas* (*b*)? Non ergo generalem illam legem Ambrosius statuit, licere virginibus, defendendae castitatis studio, mortem sibi consciscere, sed memor quaestionis propositae pie juxta, prudenterque respondet, earum virginum, de quibus agebatur, facinus crimini vertendum non esse, neque pugnare cum lege Evangelica, quum existi-

(*a*) Ibid. §. 10. (*b*) De virginib. lib. 3. cap. 7.

existimandum sit, Deo auctore, susceptum fuisse. Responsum vero suum exemplo fulcit Virginis, Martyrisque Pelagiae, quae inter virginitatis praedones *vacua praesidio*, *sed Deo plenior*, in interitum ruit voluntarium. Verba autem illa, *Deo plenior*, si Barbeyracus posuisset in medio, totamque Ambrosianae orationis seriem paullo accuratius, aut etiam fidelius explicasset, sublata statim fuisset controversia. Quid enim mali est sentire, extra culpam esse illas virgines, quae Dei instinctu, & afflatu manus sibi fortiter inferunt? Idipsum in eadem caussa statuerat Augustinus, cujus dicta ausus non est vituperare adversarius. Ambrosius igitur nihil peccavit. Reliqui essent Hieronymus, Joannesque Chrysostomus. Sed Hieronymum quidem a Ceillierio (*a*), & ante Ceillierium a Natali Alexandro (*b*) satis defensum existimo; Chrysostomum vero jam explicaverat Tillemontius, cujus doctrinam Barbeyracus non elevat, etsi in ea jocari videatur. Nobis ea suscipienda est disputatio, vero ne sint consentanea, quae Veteres de laude, & cupiditate Martyrii tradiderunt.

LXV. I. Etsi enim noster, quantum ex lectione ejus intelligo, aliis distentus occupationibus non magnos in hoc argumento habere progressus potuerit, animose tamen in istam disputationem ingreditur, nec solum Justino Philosopho vitio dat (*c*), quod semel, atque iterum illorum factum non improbet, qui se sponte obtulerunt Martyrio, sed paginis fere quinque Cyprianum cumprimis vexat (*d*), cum id mortis genus prorsus desiderabile, atque expetendum videatur. Plus Antistes Praefationem libri de exhortatione Martyrii, quem ad Fortunatum misit, concluserat hisce verbis. *In aquae Baptismo accipitur peccatorum remissa*; *in sanguinis corona virtutum*. *Amplectenda res est*, *&* *optanda*, *&* *omnibus postulationum nostrarum precibus expetenda*, *ut qui servi Dei sumus*, *simus* *&* *amici*. Hic locus incurrit in odium adversarii; nos autem inde cum omnibus Latinis Theologis demonstramus, dignam laude esse cupiditatem Martyrii. Sed erravit Cyprianus, errarunt & alii, falsæ

(*a*) Cap. 13. pag. 333. &c.
(*b*) De 5. Decal. praecepto art. 4. reg. 3.
(*c*) Cap. 2. §. 8.
(*d*) Cap 8. §. 34. — 40.

falſe omnino, & obſcure de Martyrio per ea tempora cogitantes (a). Agedum videamus. Tractarunt permulti cum ſuperiore, tum noſtra memoria de natura, virtutibuſque Martyrii, plane etiam, & erudite Jo. Carolus Boſſius (b) ex noſtra Familia, ſed longe omnes, multumque Lambertinus Pontifex ſuperavit (c). Quod graece martyrium, latine dici teſtimonium, martyremque propterea idem, ac teſtem eſſe, nota res omnibus: unde ubi in Actis Graece eſt, ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, latine legimus, *eritis mihi teſtes* (d), atque ita perſaepe alias. Idcirco Martyres illi appellantur a nobis, qui ad teſtificandam Chriſtianae religionis veritatem mortem fortiter, ac voluntarie oppetunt. Praeclare enim, ut ſemper ſolet, Auguſtinus: *teſtimonia graece Martyria nuncupantur, quo verbo jam utimur pro Latino: unde illos, qui propter teſtimonium Chriſti diverſis paſſionibus humiliati ſunt, & uſque ad mortem pro veritate certarunt, non teſtes, quod Latine utique poſſemus, ſed graece Martyres appellamus* (e). Qua ipſa de notione Martyris apud Chriſtianos animadvertit Politus noſter (f), eſſe illud apud Ammianum lib. 22. *qui deviare a religione compulſi pertulere cruciabiles poenas, ad uſque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, & nunc Martyres appellantur*.

II. Ex his ſua ſponte ſequitur, nihil laudabilius eſſe cupiditate Martyrii. Quid enim magis praeſtabile, aut Chriſti diſcipulo dignius, quam cupere profundere ſanguinem ad confirmandam illius divinitatem, ad conſtabiliendam religionem, ad convincendam perfidiam, ad reconciliandam Eccleſiae pacem, ad eos, qui ſunt in Eccleſia, roborandos, eos vero, qui extra ſunt, adducendos? Si hoc deſiderari non poteſt, quid cum laude deſiderari poſſit, non video. Sed breviter, & ex Dialecticorum formulis. Id licet expetere, quod ſuapte natura honeſtum eſt, Deo gratum, & ſanctitatis pleniſſimum: tale eſt autem Martyrium; Martyrium ergo licet expetere. Quam inflammato ſtudio Paulus cupiebat diſſolvi, & eſſe

cum

(a) Ibid. §. 24. (b) Inſtitut. Theolog. in App. Tom. 2.
(c) De Beatif. lib. 3. cap. 11. & ſeqq. (d) Actor. cap. 1. ver. 8.
(e) Enarrat. 9. in Pſalm. 118. n. 2. (f) In Martyr. ad 1. Januar. pag. 21.

cum Christo? Quam etiam reliqui Apostoli? Quam innumerabiles alii, non viri solum, sed sanctissimae, ac religiosissimae foeminae? Laudabile erit desiderio mortis ardere, fruendi Dei studio: nefas erit desiderio moveri oppetendae pro Deo mortis? Nae tu mirifice disputas. *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Multo igitur magis qui Martyrium. Id enim tunc Paulus scripsit, cum *quisquis plebibus praeerat, primus ad Martyrii tormenta trahebatur*, quemadmodum ex Gregorio Magno (*a*) rectissime Alvarus Pelagius admonet (*b*). Qua in re ut Anselmum, Thomam, aliosque praeteream, habeo consentientem & Grotium, veritatis prorsus, ut credibile est, permotum judicio. Grotio enim interprete (*c*), Episcopatus per illa tempora ambitionis non munus erat, sed maximae fortitudinis, & multarum, nobilissimarumque virtutum, propterea quia tunc Antistites, tanquam magistri, ac duces omnium, primi ad mortem, atque ad supplicia quaerebantur. Rursus praeclare faciunt qui Episcopatum propterea desiderant, ut aliorum saluti prodesse possint, & Ecclesiae commodis, atque utilitatibus serviant. At nulli unquam id facilius consequi possunt, quam Martyres, quorum sanguis, ut mittam alia, *semen est Christianorum* ex notissima Tertulliani sententia. Sed latissime vagaretur oratio mea, si argumenta omnia vel leviter tangerem, quae plane ad veritatem ostendunt, jure, ac merito concupisci posse Martyrium, idque & infimis precibus postulari a Deo posse. Non ergo cum Evangelio pugnat, ut Barbeyracus existimat, sed Evangelio potius consentanea mire est, nobilis illa occumbendae pro religione mortis cupiditas.

III. Nec vero dumtaxat licet Martyrii laudem expetere, sed etiam gloriosum interdum est, & laetabile se ultro in illud discrimen adducere, exemplo cumprimis praeceptoris, Deique nostri, qui non solum voluntate summa sua morti se obtulit, sed sponte Hierosolymam properavit, & obvius inimicis fuit, ipsius sanguinem sitientibus. Martyres autem sanctissimi, qui ultro in Tyrannorum manus, ac potestatem venerunt jam inde ab Apostolorum temporibus, tales, ac tot

M fue-

(*a*) Par. 1. Pastor. cap. 8. (*b*) De planctu Eccles. art. 18.
(*c*) In hunc loc.

fuerunt, ut Lucianus ipse dixerit, *miseri homines a seipsis persuasi, fore se integre immortales, semperque victuros, mortem contemnunt, multique ultro seipsos dedunt* (*a*). Et Tertullianus ad Scapulam, *cum omni saevitia vestra concertamus etiam ultro erumpentes, magisque damnati, quam absoluti gaudemus* (*b*). Acta illa legi sine fletu, & lacrymis nequeunt, Barbeyraco stomachum movent, & imprudentiae, atque temeritatis argumenta suppeditant. Affirmat enim, nos, exemplis utentes ejusmodi, principium turpiter petere, cum hoc ipsum in quaestione versetur, laudari ne Martyres debeant, qui se ultro Martyrio obtulerunt, laudari ne Cyprianus, qui illorum consilium, & facinus approbavit (*c*). Ubi quid ego primum, quid posterius reprehendam, equidem nescio. Non dicam, cujus sit hominis delere ex Martyrum numero, &, caussa incognita, in crimen vocare tot sanctissimos viros, qui cum fuga sibi possent consulere, religionis studio tamen venire in manus satellitum maluerunt, quosque omnis antiquitas (abstineo a verbo Ecclesiae, cujus jacet adversario auctoritas) tanquam fortissimos Christi milites venerata semper fuit, & coluit, Ignatium praesertim, & Polycarpum, summos illos, atque admirabiles Apostolorum discipulos. Nam ut nullam Barbeyracus neque in Romana, neque in universa Ecclesia auctoritatem velit agnoscere, vident profecto omnes, an quae modestiae scintilla appareat in homine, qui Christianarum omnium gentium non vereatur consensionem negligere, quae loco licet, aetate, studiis dissimillimae, rebus tamen probe exploratis, & cognitis, ex iis plurimos, qui se Tyrannorum furori, ac morti objecerunt, ad collegium Martyrum aggregandos putarunt. Sed haec, quae rustice sane contemnerentur, dissimulare malo, quam dicere. Illud dicam, nos longissime abesse a petitione principii, cum Martyrum exempla producimus. Docemus enim, fortissimos viros vel, Deo auctore, atque impulsore, se ultro prodidisse judicibus, vel gravi aliqua caussa, aut necessitate adductos esse. Quod antequam patefacio, opus est argumentationem praevertere, quam contra Barbeyracus adhibuit, ac nonnulla ejusdem peccata detegere.

IV.

(*a*) In Peregrino. (*b*) Initio. (*c*) Ibid. §. 38.

IV. Smyrnenſis Eccleſia in Epiſtola de Polycarpi Martyrio (*a*) factum narrat, atque vituperat Quinti Phrygis, qui ſponte tradiderat ſe ipſum Proconſuli, aliiſque, ut exemplum ſuum ſequerentur, perſuaſerat; in beſtiarum autem adſpectu concidit animo, & per genium Imperatoris juravit: tum ſapienter adjungit: *propter hoc igitur, fratres, non probamus eos, qui ſponte ſe ſe offerunt. Quandoquidem non ita docet Evangelium*. Nefas eſt igitur ſponte ſua ad Martyrium properare. Cujus enim judicium pluris faciemus, Smyrnenſis ne Eccleſiae, an Cypriani? Ergo & ſine cauſſa Polycarpus in numero illorum reponitur, qui ipſi per ſe ſupplicium quaeſiverunt. An Smyrnaeorum Eccleſia id in Polycarpo laudaſſet, quod generatim vituperavit in caeteris (*b*)? Sed hoc loco bonam in Barbeyraco fidem, & plus ſacrae eruditionis deſidero. Primum quidem bonam fidem. Diſſimulat enim, quod tradit Euſebius, ubi illam epiſtolam recitat. Quintum videlicet *temeritate quadam, ac levitate ductum, non cum pio, ac religioſo motu una cum aliquot aliis ad tribunal proſiluiſſe* (*c*). Ac ſane verbum illud παραβιασάμενος, quod Smyrnaei de Quinto ponunt, temerarium impetum, Marano interprete, natura ſua, declarat (*d*). Diſſimulat, quod ſolus Quintus vituperatur, neque de ejus probro participant, qui ſecuti Quinti ſunt impetum, non peccatum. Diſſimulat, quod Smyrnaeorum Eccleſia proxime ſuperiore loco multis laudibus ornat Germanicum, *quem cum Proconſul.... flectere vellet, diceretque, ut ſuam ipſe aetatem miſereretur, ille beſtiam ultro ad ſe attraxit, eique vim intulit, cupiens velocius ex injuſta, & iniqua eorum hominum vita effugere* (*e*). Diſſimulat tandem, quod in extrema eſt epiſtola, Polycarpi *Martyrium, quod ſcilicet peractum eſt juxta Evangelium Chriſti, omnes imitari deſiderant* (*f*): unde agnoſcere poterat, nihil laudabilius eſſe, quam cupere religionis, Deique cauſſa mortem oppetere. Poſt haec ne diſputator noſter cavilletur, en quid in ea epiſtola de Polycarpo ipſo narretur: *& ſub veſpertinum tempus ſupervenientes inimici, ipſum repe-*

(*a*) Num. 4. edit. Coteler.
(*b*) Ibid. num. 38. (*c*) H. E. lib. 4. cap. 15.
(*d*) Vid. Praefat. ad S. Juſtin. par. 2. cap. 13. pag. 59.
(*e*) Num. 3. (*f*) num. 19.

rerunt in quodam superiore cubiculo discumbentem. Unde poterat quidem in aliud praedium abire, sed noluit dicens, fiat voluntas Domini. *Cum ergo astantes audivisset, & descendisset, collocutus est cum eis* (*a*). Quamvis ergo diutius latere Polycarpus non posset, potuit adhuc tamen latere aliquo tempore in aliud praedium se recipiens. At is tantum abest, ut fugerit, ut sponte comprehendendum se dederit. Negat Barbeyracus, hoc esse Martyrio se offerre? Ut vult: paratus est enim contendere omnia. At si non licet offerre se interdum Martyrio, ne illius quidem tempus fas erit praevertere, quod tamen Polycarpus fecit.

V. Haec quo spectent, mox videbimus. Nunc praeter bonam fidem, sacrae eruditionis copiam in Barbeyraco desidero. Quaerit, utrius judicium praeferri debeat, Smyrnaeorum ne, an Cypriani. Indigna erudito homine quaestio. Poni enim ab eo tantum potuit, qui nesciat, Cypriani judicium cum Smyrnaeorum doctrina mirifice concordare. Ego ea de re Cypriani ipsius, atque aliorum testimonia affero, non solum ut singularis illa, quam praedico, doctrinae consensio ante oculos proponatur, sed etiam, ut liquido pateat, quam parum & mihi, & Patribus metuam ab argumentis ejus scriptoris, cui ego sciens, ac prudens arma suppedito. In Actis ergo Proconsularibus Cypriani ita Cyprianus ipse ad Paternum Proconsulem: *cum disciplina probibeat, ut quis se ultro offerat, & tuae quoque censurae hoc displiceat, nec offerre seipsi possunt* (Sacerdotes), *sed a se exquisiti invenientur* (*b*). Idem Cyprianus in epistola 83. ad Chartaginensem Clerum, & Plebem: *ne quisquam vestrum aliquem tumultum de fratribus moveat, aut ultro se gentilibus offerat, apprehensus enim, & traditus loqui debet* (*c*). Qua de Cypriani doctrina ille est apud Augustinum locus: *his sacris litteris eruditus Beatus Cyprianus in confessione dixit, disciplinam probibere, ne quis se offerat* (*d*). Consentiunt cum Cypriano Mensurius, Chartaginensis & ipse Antistes (*e*), & Gregorius Nazianzenus, testificans, *legem Martyrii*

(*a*) Num. 7.
(*b*) Num. 1. apud Ruinart. pag. 188. Veronae.
(*c*) Ex edit. Pamelii. (*d*) Cont. Epistol. Gaudent.
(*e*) Apud August. in Brevic. Collat. diei 3. cum Donat. cap. 13.

tyrii esse, ne nos ultro ad certamen accedamus: hoc enim temerarii, ac praecipitis animi est (*a*): ut jam perspectum, exploratumque esse debeat, non Cypriano solum, sed toti Ecclesiae doctrinam Smyrnaeorum, atque sententiam placuisse.

VI. Eadem Ecclesia tamen, quae ita statuit, plurimos in sanctissimorum Martyrum numero veneratur, & colit, qui sponte ad praelium cum religionis hostibus accesserunt. Cur? Quia illos tantum rejicit, qui naturae impetu, temere, atque imprudenter id faciunt. Sed eos, qui divino spiritu incitati, qui gravi adducti caussa, qui ex Christianae prudentiae legibus se obtulerunt, hos probat, osculatur, complectitur. Legat Barbeyracus Josephum Augustinum Ursium Cardinalem *pro sanctis Perpetua, & Felicitate* (*b*), legat Lambertinum Pontificem (*c*), legat alios, & Martyrum talium sexcenta, & probatissima exempla reperiet. Si quaerit, unde Ecclesia didicerit, hosce Martyres, auctore Deo, ruisse ad interitum voluntarium, respondebo Athanasii verbis de fuga sua apud eundem Lambertinum: *quod si ex illis quidam Persecutoribus se se offerrent, non temere illud agebant, palamque omnibus erat, eam alacritatem, eumque ad persecutores accessum* Spiritum *sanctum auctorem habere* (*d*). Idipsum antea non solum Athanasius dixerat, sed ad rem confirmandam exempla ex divinis libris protulerat. *Quod etiamsi quando fugientes*, inquit, *accesserunt ad eos, a quibus quaerebantur, ne id quidem temere faciebant. Etenim spiritus admonitu ad ipsos loquentis, quum essent amici Dei, sic illis occurrebant, hoc quoque modo suam obedientiam, animique promptitudinem declarantes. Talis autem erat Elias, quum jussus a spiritu ostendit se se Achab. Talis Michaeas propheta veniens ad eundem Achab, & propheta, qui provocavit ad altare Samariae, ac pudefecit Jeroboam* (*e*). Ad haec notae suppetunt, & insignia, unde intelligamus, an aliqui divino instinctu, & afflatu ultro se in capitis discrimen conjecerint. Notae illae vero, & insignia desumuntur ex ratione anteactae vitae, ex cujuscumque peccati odio, ex loci, & temporis adjunctis, ex

(*a*) Orat. 20. (*b*) Pag. 154. & seqq.
(*c*) Lib. 3. cap. 16. num. 9. & seqq. numer. & capit.
(*d*) Ibid. cap. 17. num. 9. (*e*) Pag. 416. edit. Coloniae an. 1532.

ex fine, quem sibi Martyr proposuit, praesertimque ex prodigiis, quibus Deus voluntariam suorum fidelium mortem approbavit. Ita Caprasius Martyr, cujus natalis dies 13. Kalendas Novembres in Martyrologio Romano recolitur, dudum in spelunca latuerat, postea tamen ultro ad certamen accessit, signo profectionis suae divinitus impetrato. Et, quod caput est, complures alii, quorum consilium Deus prodigiis locupletissimis confirmavit, Tyrannos etiam adversus se concitarunt, antequam in eorum potestatem venirent, ut Satyrus, ut Theodola, ut Ananias, ut Leo Archiepiscopus Rhotomagensis, quos una cum aliis Lambertinus (*a*), nostrique scriptores passim commemorant. Voluntaria igitur horum mors a divino instinctu, & afflatu repetenda est: nisi velimus dicere, miracula Deum edere ad testificandam audaciam, atque temeritatem.

VII. Sed & tempora possunt interdum incidere, in quibus liceat, si gravis caussa, vel necessitas postulet, voluntate, ac sponte sua ad Martyrium proficisci. Licebit I., si religio, & fides periclitetur, atque a profanis hominibus irrideatur, & contemnatur, idque exemplo Romani, cujus virtutem in libro de Palaestinae Martyribus collaudat Eusebius; propositum autem, & factum duobus cumprimis, eisdemque plane singularibus signis, atque miraculis Dei numen probavit (*b*). Licebit II., si quis Christianos, qui propter infirmitatem animi nutent, & incerti trepident, exemplo suo speret corroborare, & confirmare se posse, III. si magnum aliquod infortunium, vel detrimentum immineat, quod idem sponte se objiciendo Martyrio possit avertere, ut Petrus fecit Alexandrinorum Episcopus, de quo Caesar Baronius (*c*), IV. si quis se offerat, ne pro ipso alii ad supplicia, & mortem trahantur, V. denique si prudenter existimet, posse se simulacrorum cultores ab impietate avocare. Atque haec passim tradunt, & argumentis docent Theologi omnes, & qui de sanctis hominibus consecrandis scripserunt, quorum Barbeyracus libros ne a limine quidem, ut video, salutavit. Praeclare ergo, & ad rem Verri-

(*a*) De Beatific. &c. lib. 3. cap. 17. num. 6.
(*b*) Vid. not. Vales. ad cap. 2. libr. de Martyr. Palaest.
(*c*) Ad an. 310.

ricellus: *dispositio ejus, qui se Martyrio offert, est advertenda; nam in deliciis innutritus, carnis vitiis irretitus, temere lapsus periculo se exponit, & hic tentat Deum.... Finis quoque spectandus est; qui enim ultimate, & primario Martyrium intendit, illicite agit* (hoc unum Barbeyracus (*a*) multis, & ambiguis verbis effecit), *estque id Circumcelliones imitari: quare finis primarius debet esse Dei gloria, fidei exaltatio, Persecutoris confusio, Infidelium conversio, Ecclesiae pax, Fidelium confirmatio* (*b*). Et longo ante Verricellum tempore Thomas Aquinas: *in casu necessitatis, ubi fides periclitatur, quilibet tenetur Fidem suam aliis propalare, vel ad instructionem aliorum fidelium, sive confirmationem, vel ad reprimendum fidelium insultationem* (*c*). Et rursus: *si utilitas fidei aliqua speretur, aut necessitas adsit, contempta perturbatione Infidelium, debet homo publice fidem confiteri* (*d*). Quid multa? Caedis reos non esse constat, qui, ubi id tempus poscit, vitam suam certo periculo mortis objiciunt pro salute, atque utilitate Reipublicae: idque & Natalis demonstrat (*e*), & una voce Heterodoxi auctores, qui per hosce annos de jure naturae scripserunt, confirmant. Nec laudandos putabimus, qui sponte Tyrannis se dedunt, cum id Dei gloria, proximorum salus, perfidorum jactatio, religionis utilitas, vel necessitas postulat? Non peccant milites, qui belli tempore primi in hostium muros, vel turres, etiam injussi, conscendunt: non peccavit Eleazar, magnanimus ille vir, qui *dedit se, ut liberaret populum suum*, regemque Antiochum occisurus Elephanti se supposuit, atque ejus casu oppressus fuit (*f*). Peccabunt autem nobilissimi Christi milites, qui gravibus permoti causis caput suum pro coelesti Republica periculis mortis omnibus offerunt? Quis hoc sibi inducat in animum?

VIII. Cum igitur exoptari possit Martyrium, & multae, ac magnae suppetant rationes, cur aliqui interdum sua voluntate, & sponte illi se offerant, neque id modo sine temeritate,

(*a*) Cap. 8. §. 36. &c.
(*b*) De Apostol. Mission. quaest. 9. de Fide sect. 4. num. 43.
(*c*) 2. 2. quaest. 3. art. 2. ad 2. (*d*) Ibid. ad 3.
(*e*) De Quinto Decal. praec. art. 4. reg. 4.
(*f*) Machab. lib. 1. cap. 6. ver. 44. &c.

& vitio, ſed etiam cum laude virtutis, conſequens eſt, reprehendi non debuiſſe Juſtinum, illorum hominum facta approbantem, qui charitate inflammati, Deoque pleni, ſemetipſos, nemine accuſante, Chriſtianos eſſe Magiſtratibus denunciarunt. Immo tantae admiratione virtutis, atque conſtantiae ſe adductum Juſtinus fatetur, ut innocentiam Chriſtianorum agnoſceret, haec videlicet de ſe teſtificans in poſteriore Apologia num. 12. *Nam & ipſe ego, cum Platonis doctrina delectarer, ac de criminibus in Chriſtianos conjectis audirem, eos autem ad mortem, & ad alia omnia, quae videntur metuenda, impavidos cernerem, fieri non poſſe intelligebam, ut in nequitia, & in voluptatum amore viverent. Quis enim libidinoſus, & intemperans .... mortem amplecti poſſit, ut bonis ſuis careat, ac non potius omnino in hac vita ſemper verſari, & magiſtratus latere conetur, nedum ſeipſum deferat morte damnandum?* Minime igitur mirum, ſi in eadem Apologia laudibus ſuis decoravit cum Lucium, qui Ptolemaeum ad ſupplicium rapi videns judicis iniquitatem animoſe redarguit, ſtatimque confeſſus, Chriſtianum ſe eſſe, ſimul ad mortem damnatus eſt (*a*), tum alium quendam praeſtantem virum, qui Ptolemaeo, & Lucio ſupervenit, eandemque cum illis poenam ſuſtinuit (*b*). Et qui ejuſmodi Martyres vituperare noſter hic potuiſſet, qui divinam religionem a Romanis non laceſſitus palam, ac publice fortiſſimo animo defendendam ſuſcepit, Imperatoreſque ipſos in tribunali ſedentes ea de re adire non timuit? Quamquam de tertio illo, qui ex inopinato advenit, cum hoc breviſſime tantum Juſtinus dicat, *tertius alius ſuperveniens eodem ſupplicio damnatus eſt*, haud equidem intelligo, qua ratione colligere inde Barbeyracus potuerit, laudatos a Juſtino eos fuiſſe, qui ultro ad Martyrium accedebant.

IX. Multo minus queo intelligere, quo tandem modo idipſum colligat, vel potius conetur eruere ex alio loco, qui ſequitur paullo poſt, ubi Juſtinus reſpondet Ethnicis, Chriſtianos ad mortem ſibi ipſis inferendam hortantibus (*c*). Sed litigioſum illum hominem eſſe & ipſis oculis, & manibus deprehendet, quiſquis Juſtini locum legere non gravabitur. Nam ibi

(*a*) Num. 2. (*b*) Ibid. (*c*) Num. 4.

ibi cubitalibus litteris vir ſanctus declarat, fideles Chriſti *contra Dei conſilium* facturos eſſe, ſi manus ſibi ipſis afferrent. De Juſtino igitur ſatis. Videamus nunc, quibus Barbeyracus rationibus, & quam nervoſis conetur efficere, neque expetendum Martyrium eſſe, neque ullo tempore ſponte adeundum. Facile omnes perſpicient, acutum alioquin virum nihil infirmius excogitare potuiſſe, nec levius.

X. Ac prima quidem ratio tantum abeſt, ut vi aliqua polleat ad faciendam fidem, ut in ea potius pernicioſiſſimus error eluceat. Objicit enim divini Praeceptoris verba, *cum autem perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam* (a). Ex qua argumentatione hominis ſequitur etiam, peccare Epiſcopos, & Paſtores, qui, commota in Eccleſiam procella, non fugiunt; contra autem laudari mercenarios oportere, qui vix conſpicati *lupum a longe venientem*, dimittunt oves, & excedunt. Illud quoque cuique homini praeceptum eſt, *non occides;* licere tamen Barbeyracus vult & vitae, & pudicitiae noſtrae inſectatorem interficere. Verba igitur Chriſti de arripienda fuga eam habent notionem, ac vim, quam millies a noſtris Theologis explicatam a prima fere pueritia didicimus. Reprehenſoris altera ratio eſt, cupiditatem Martyrii naturae juxta, atque Evangelio, quod naturam non deſtruit, eſſe contrariam. Sed & injurias condonare, & corpus voluntariis poenis in ſervitutem redigere, & multa alia divinae legis praecepta naturae hominum vitiatae, & corruptae adverſantur. Evangelii vero vox poſita eſt inutiliter. Tertium illud accumulat, ſocietatis humanae, & religionis ipſius utilitates poſtulare, ut viri probi, & Chriſtiani magnis virtutibus praediti quam diutiſſime vivant; neminem debere igitur ſine neceſſitate caput ſuum offerre mortis periculo. Sed jam admonuimus, ſemen eſſe ſanguinem Chriſtianorum, & interdum vir bonus morte ſua ſocietati plus, & Eccleſiae prodeſt, quam ſi vitam ad Mathuſalemi annos produceret. Habetis graviſſimas Barbeyraci rationes, quae tantum habuerunt apud me ponderis, ut quamvis in his repellendis triumphare oratio mea potuiſſet, praeteriens tamen, & ludentis more maluerim ipſas diſſolvere. *Quippe ridiculum acri.* N *For-*

(a) Matth. cap. 10. ver. 23.

Fortius, ac melius magnas plerumque secat res (a).

Quanto magis non difficiles, & nugatorias? Et tamen Barbeyracus, rebus illis expositis, insultat Martyribus, & in has erumpit contumelias, & clamores. *Ces raisons sont si claires, & si fortes, qu'elles rendent tres suspect ou d'ignorance, ou de de vanité, ou de temerité un zele qui les foule aux pieds, pour se faire une gloire du Martyre en lui-même, & le rechercher sur ce pié-là,... . Rien, après tout ne seroit plus propre à détruire le Christianisme, que si ces idées du Martyre, désiderable par lui-même, devenoient communes dans les sociétez des Chrétiens* (b). Falso, Barbeyrace; tota enim repugnat antiquitas. Nihil olim primis saeculis magis commune cupiditate, desiderioque Martyrii, haud quidem Martyrii ipsius caussa, sed religionis, & Dei, immo, teste Hieronymo in Pauli vita, *votum tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti*; & tamen nunquam magis propagata Ecclesia est, nunquam religio tam prospere in omnes terrae angulos penetravit.

XL. Quod addis, nos Christum, qui voluntate summa sua properavit ad mortem, imitari nec debere, nec posse; ejus enim gloriam cum nemine cummunicandam (c), id ego hactenus labefactavi, partimque etiam refutavit multis ante saeculis Augustinus. *Audi*, inquit, *& Petrum Apostolum admonentem, Christus passus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus*. Non te pudet vitio vertere (d) eximio illi, invictoque Martyri, Ignatio, quod in epistola ad Romanos supplex eos rogavit, ne quod sibi ad Martyrium impedimentum afferrent: se enim nihil optare vehementius, quam ut totus a bestiis discerpatur, atque adeo illarum ferociam blanditiis etiam, & assentationibus provocaturum (e). Sed qui eam epistolam sine ulla perturbatione animi legerit, deprehendet, Ignatium totum, quantus erat, divino spiritu percitum, atque animatum fuisse: ut omittam exempla Martyrum probatissima, qui etsi in certamen se sponte conjecerant,

(a) Horat. Lib. I. serm. 10. ver. 14. & 15. (b) Cap. 8. §. 37.
(c) Ibid. §. 38. (d) Ibid. §. 39.
(e) Num. 4. & 5. edit. Coteler.

rant, eorum tamen corpora inusitato sane prodigio ipsae bestiae verebantur attingere, eoque magis ab inferenda injuria abstinebant, quo illas studiosius fortissimi Martyres incitabant. Exempla nonnulla nos designavimus (VI.), multo plura a Lambertino Pontifice, & a Cotelerio, qui hisce ipsis Barbeyraci clamoribus satisfecerat (*a*), producuntur.

XII. Ad extremum enervare alio loco (*b*) conatur noster doctrinam, auctoritatemque Athanasii, quem semel, & iterum testificantem audivimus, viros interdum sanctos, divino impellente spiritu, non temere, neque imprudenter, morti se objecisse. Hujus enim rei ratio, quam Athanasius affert, Martyrum constantia est, quae in mediis cruciatibus eminebat. Miserabile Barbeyraci opinione argumentum. Nullo enim modo hinc efficitur, instinctu illos, afflatuque divino impulsos esse. Quippe clementissimus Deus piae, qua ducebantur, voluntatis caussa, potuit eisdem temeritatis veniam dare, opemque suam, ne vacillarent, tribuere. Mihi Barbeyracus hariolari videtur loco, & tempore non necessariis. Athanasius enim doctrinam suam divinarum litterarum exemplis corroborat. Nego autem eum Antistitem ad persuadendum id, quod cupit, rationem ex constantia sumere, quae in Martyribus elucebat. Non hoc ille docet; tantum ait perpaucis verbis, manifestum fuisse omnibus πᾶσιν ἐγένετο φανερὸν, *eam alacritatem, eumque ad persecutores accessum Spiritum sanctum auctorem habere* (VI.). Potuit autem Athanasius, potuerunt alii certis signis, argumentisque colligere, Martyres, auctore Deo, in Tyrannorum manus venisse, in primisque, ut saepe dixi, colligere id ex miraculis potuerunt (ibid.). Est ne vero ullo modo credibile, Deum non aliquando dumtaxat, sed tam saepe, tam multis locis, atque temporibus temeritati, & audaciae hominum ignovisse, neque ignovisse solum, sed illis numine suo praesentissimum adfuisse, ne cruciatibus cederent, eorumque praeterea mortem splendidis nobilitasse prodigiis? Martyres enim ejusmodi longe plurimos veteres narrant historiae. Sed Patres, qui illorum facinus, & consilia collaudarunt, jam mihi videor, diligentissime

N 2 de-

(*a*) V. ejus not. ad num. 4., & 5. ejusd. epist.
(*b*) Cap. 15. §. 11.

defendiſſe. Barbeyracus, quod malueri, opinetur. Ego Ambroſium, unaque Auguſtinum ab horribiliori crimine, vel atrociſſima potius calumnia vindicandum ſuſcipio.

LXVI. Ergo calumniatori (extorquet hoc a me verbum hoc loco manifeſta hominis impudentia, atque procacitas contra morem, & conſuetudinem dicendi meam), ergo calumniatori ſi credimus, ſapientiſſimus ille vir, Auguſtinus, cujus doctrinam tota ſemper, qua late patet, Eccleſia approbavit, ſummiſque in coelum laudibus extulit, in hac fuit opinionis ſtultitia, neque adulterii ream eſſe, neque ullo modo peccare mulierem, quae mariti conceſſione, & permiſſu corpus cum altero miſceat (*a*). Locus, quo Barbeyracus movetur, ita ſe habet, depromiturque ex cap. 16. lib. 1. de Sermone Domini in monte. Num. 49. *Rurſum quaeritur, utrum ſi uxoris permiſſu, ſive ſterilis, ſive quae concubitum pati non vult, adhibuerit ſibi alteram vir, non alienam, neque a viro ſejunctam, poſſit eſſe ſine crimine fornicationis. Et in hiſtoria quidem veteris Teſtamenti reperitur exemplum; ſed nunc praecepta majora ſunt, in quae per illum gradum generatio humana pervenit; tractanda illa ſunt ad diſtinguendas aetates diſpenſationis divinae providentiae, non autem ad vivendi regulas uſurpanda. Sed tamen utrum quod ait Apoſtolus*, mulier non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier, *poſſit in tantum valere, ut permittente uxore, quae maritalis corporis poteſtatem habet, poſſit vir cum altera, quae nec aliena uxor ſit, nec a viro disjuncta concumbere. Sed non ita eſt exiſtimandum, ne hoc etiam foemina, viro permittente, facere poſſe videatur, quod omnium ſenſus excludit.*

Num. 50. *Quamquam nonnullae cauſſae poſſint exiſtere, ubi & uxor, mariti conſenſu, pro ipſo marito hoc facere debeat; ſicut Antiochiae factum eſſe perhibetur ante quinquaginta ferme annos, Conſtantii temporibus*, & Praefecto Acyndino. Narrat deinde facinus Antiochenae cujuſdam mulieris, eximia corporis pulchritudine ſpectatiſſimae, quae ut virum ſuum liberaret a morte, ejus conſenſu, & permiſſu totam noctem alteri ſe pervulgavit. Quod ubi narraſſet, nulla interpoſita vocula, addi-

(*a*) Cap. 16. §. 5.--9. cum not.

addidit: *nihil hinc in aliquam partem disputo; liceat unicuique aestimare, quod velit: non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est. Sed tamen, narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quemadmodum antea, cum sine ullo exemplo res ipsa poneretur, horruimus*. Ecce igitur Augustinum, nihil de quaestione proposita audentem statuere, sed liberum relinquentem auditoribus, arbitratu ut suo judicium ferant. At si persuasisset sibi, uxorem, consentiente marito, non posse alteri sui corporis copiam facere, an vel ad punctum temporis in controversia ad judicandum perfacili haesitasset? Dixisset stans pede in uno, quod homo vel indoctissimus diceret, rei adjuncta peccati turpitudinem minuere posse, prorsus tollere, atque excusare non posse. Nunc autem qui illius timor, quae dubitatio, quanta cunctatio, tractusque verborum? Certe Menagius ipse, vir oppido sapiens, Romanaeque religioni deditus, professus ingenue est (*a*), visum Augustino fuisse, Antiochenam illam mulierem neque humana, neque divina jura violasse (*b*). Macti ergo virtute. Agnoscamus tanquam duces, praeceptoresque in morum scientia tam doctos viros, ac tales, qui in controversiis magni ponderis potestatem omnibus amplissimam faciant id opinandi, quod placet (*c*).

LXVII. Ego vero auctor Barbeyraco fuissem, ut Augustini sapientiam veneratus, ut decuit, seipsum primum corrigeret, atque emendaret (§. XIV. I.), deinde ut pestiferos potius Thomasii (ibid. III.), Lamberti Velthusii, similiumque errores extirpandos susciperet, qui eo foeditatis, atque insipientiae progressi sunt, ut blateraverint, demonstrari lumine rationis non posse, repugnare adversus legem naturae scelera illa, & flagitia, quae sexto Decalogi praecepto vetantur; si ea dumtaxat excipias, quibus justitia violatur, ut adulterium. Temere hoc quoque effutitum Thomasio: *si Princeps sit Polygamus, nondum ullus probavit justis rationibus, hanc Polygamiam tantum esse crimen, ut gehennam mereatur, & quod legi universali divinae repugnet* (*d*). Sale igitur, & facetiis suis uti commodius Barbeyracus poterat in oppugnandis errorum por-

(*a*) Amoenit. Juris civ. cap. 10. (*b*) Ibid. in fine §. 6.
(*c*) §. 8. (*d*) Jurisprud. Div. lib. 3. cap. 3.

portentis, quae ex officina scriptorum ejusmodi, & sua magno numero prodierunt. Nam in Augustinum ne suspicio quidem peccati cadit. Menagium ad manus non habeo, atque adeo de viro sancto quid scripserit, videre oculis nequeo. At si in opinione illa fuit, de qua adversarius testatur, narro omnibus, iniquissime tulit sententiam, rejiciendusque juxta est, ac Casuistae nonnulli, quos superiore Augustini loco abuti non puduit. Neque enim vir acutissimus ibi de adulterio dubitat, sed de veritate historiae, quam ipse alioquin fidelitate summa exposuerat. *Nihil hinc*, ait, *in aliquam partem disputo: liceat cuique aestimare, quod velit. Non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est*, cui fidem necessario adjungere debeamus. Quid autem de natura facti sentiret, significavit perspicuis, ac disertissimis verbis, que ejus historiae narrationi praeposuit, ita praefatus. *Sed tamen, utrum quod ait Apostolus*: mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir: similiter & vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, *possit in tantum valere, ut permittente uxore, quae maritalis corporis potestatem habet, possit vir cum altera, quae nec aliena uxor sit, nec viro disjuncta, concumbere. Sed non ita est existimandum, ne hoc etiam foemina, viro permittente, facere posse videatur, quod omnium sensus excludit*. Poterat ne Augustinus significantius agere, suamque de adulterio sententiam expromere?

LXVIII. Nec vero, ut Barbeyracus fingit (a), sententiam quodammodo e vestigio revocavit; sed tantum adjunxit, nonnullas caussas posse interdum existere, quae imbecillitati hominum id genus concubitum excusare aliquo modo videantur, *ubi & uxor, mariti consensu, pro ipso marito hoc facere debeat*. Ad caussas ejusmodi factum refert Antiochenae mulieris, sed caussas intelligi vult, propter quas illum concubitum sensus hominum non tanto horrore detestetur, ac respuat, non caussas tales, ut res liceat, atque absit a vitio, si ad rectam rationem, & divinam legem tanquam ad regulam, exigatur. Sic enim perorat: *sed tamen narrato facto, non ita respuit hoc sensus humanus, quemadmodum antea, cum sine ullo exem-*

(a) Ibid. §. 6.

exemplo res ipsa poneretur, horruimus. Non ergo Augustinus sententiam quodammodo revocavit. Sed revocasse fingatur, atque adeo de adulterio, non de veritate historiae dubitasse. Sat erat dicere, narrata re, *nihil hinc in aliquam partem disputo: liceat cuique aestimare, quod velit*. Quid attinebat rationem illam adjungere, *non enim de divinis auctoritatibus deprompta historia est?* Adjunxit igitur, ut significaret, eam historiam non ita compertam esse, ut in dubium revocari non possit. Quod si indicare voluisset, dubitare se, utrum adulterium ea mulier fecerit, prorsus oportebat dicere, *nihil hinc in aliquam partem disputo, liceat cuique aestimare, quod velit. Non enim tam facile statui potest, an adulterio mulier se illa polluerit*.

LXIX. Ponat Barbeyracus tamen, Augustini orationem non esse adeo, ut sane est, testatam, perspicuam, & illustrem; at certe flagitabat aequitas, ut alia ejusdem loca consuleret, ubi, ambiguitate omni sublata, controversiam ita dirimit, ut malevoli etiam ab inferendo crimine desistere debeant. Audiat ergo obtrectator, quid Augustinus sentiat in libro de fide, & operibus cap. 7., eumque arrogantiae, aut levitatis suae poeniteat. *In Ecclesia.... nuptiarum non solum vinculum, verum etiam sacramentum ita commendatur, ut non liceat viro suo uxorem suam alteri tradere: quod in Republica tunc Romana non solum minime culpabiliter, verum etiam laudabiliter Cato fecisse perhibetur. Neque hic diutius modo disputare opus est, cum & illi, quibus respondeo, non audeant affirmare, nullum hoc esse peccatum, neque negent esse adulterium, ne ipsi Domino, sanctoque Evangelio aperte convincantur obsistere*. Proh Deum, atque hominum fidem! Haec palam, & diserte qui praedicat, is potest de adulterio Antiochenae foeminae dubitare? Quo judice nemo debet *nec propter hominem baptizandum facere, quod est contrarium castitati* (a), quo auctore, *non sunt facienda adulteria etiam voluntate generandi regenerandos* (b), is non coarguere criminis mulierem potest, quae ut virum suum a mortis periculo eriperet, cum homine libidinoso, atque impuro concubuit? Is praesertim vir, cujus sententia *etiam illa pec-*

(a) De Mendac. cap. 6. num. 9.
(b) Lib. 5. cont. Julian. cap. 10. num. 41.

peccata juste imputabuntur, quae caussa devitandae molestiae alicujus, aut doloris, aut mortis contraximus (*a*)? Abeat, oro, Barbeyracus, & haec cum Riveto, Baelioque (*b*) communicet, principibus, architectisque calumniae: nos tam ineptos non censeat, ut anicularum fabulis delectemur.

LXX. Venio igitur ad Ambrosium, qui, ut idem Barbeyracus vult, maximis litteris tradidit, ante Mosem, & Evangelium adulterium vetitum non fuisse. Is cum apud Auditores suos Abrahamum multis, verissimisque laudibus extulisset, eosdem sic contra disputantes inducit. *Quomodo Abraham nobis imitandum proponis, cum de ancilla susceperit filium? Aut quid sibi vult hoc, ut tantus vir huic errori fuerit obnoxius, cujus tanta opera miramur?* Ambrosius ut nodum expediat, unaque ut Abrahamum excuset, respondet hunc in modum. *Non abnuo, quod Abraham de ancilla susceperit filium.... Sed consideremus primum, quia Abraham ante legem Moysis, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Poena criminis ex tempore legis est, quae crimen inhibuit: nec ante legem ulla rei damnatio est, sed ex lege. Non ergo in legem commisit Abraham, sed legem praevenit. Deus in Paradiso licet conjugium laudaverit, non adulterium damnaverat. Non vult enim mortem peccatoris; & ideo quod proemii est, pollicetur, quod poenae, non exigit..... Et tu peccasti cum gentilis esses, habes excusationem: venisti ad Ecclesiam, audisti legem*, non adulterabis*: jam excusationem delicti non habes*. Haec respondet Auditoribus suis Ambrosius lib. 1. de Abrah. cap. 4. Quis autem statim non videat, eum perspicue docere, nullam ante Mosem fuisse legem, quae damnaret adulterium? Pergit porro, & postquam Abrahamum secundo loco excusasset eam ob rem, quod non libidine ductus, *sed studio quaerendae posteritatis* ad Agar accesserit, tertiam defensionis partem depromit ex Pauli oraculo ad Galathas, *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem. Quae sunt per allegoriam dicta: haec enim sunt duo testamenta* (*c*). Id autem oraculi cum

(*a*) De peccat. merit. & remiss. num. 15.
(*b*) Artic. *Acyndinus* in Diction. (*c*) Cap. 4. ver. 22. &c.

cum attulisset, atque explicasset, *quod ergo*, ait, *putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea, quae posterioribus erant futura temporibus, revelabantur.... Agnoscamus ergo, quoniam haec, quae in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt, si ad correptionem nostram scripta cavere nolimus*. Quicumque legere didicit, nec sponte excoecat se, is facere nequit, quin perspiciat, Abraham cum Agar concubitum verum Antistiti nostro fuisse Adulterium. Nihil tamen ibi criminis reperit, ideo quia nondum Deus legem adversus adulteros tulerat. Immo factum eo longius abesse a crimine existimat, quo magis veluti typus ea adumbravit, quae erant in Evangelica lege eventura (*a*). Nullum non move lapidem, ut aliquam tanti erroris excusationem invenias; hoc saltem relinquetur, Ambrosium de re longe gravissima confuse, & tumultuarie, cogitasse, ejusque verba talia esse, quae legentibus errandi necessitatem imponant (*b*).

LXXI. Audistis, quid Barbeyracus disputet, & quid esse consequens censeat. Mihi vero ex Barbeyraci disputatione illud potius colligendum videtur, multa opus fuisse & attentione, & patientia ad intelligendas subtilissimas res, ab Ambrosio explicatas. Quibus si instructus praesidiis, & animo praeterea vacuo ad lectionem Ambrosii se contulisset, fortasse assecutus ejus esset sententiam. Dallaeo, qui ante Barbeyracum hoc illi crimen objecerat, jam responderant viri doctissimi, in his nominatim Natalis Alexander (*c*), Auctorque *de re sacramentaria* (*d*). Ac Natalis quidem sic existimat, Ambrosium id unum velle, ante Mosis tempora nulla externa neque poena coercitum, neque lege interdictum fuisse adulterium, adeoque veniam adulteros facilius impetrasse, quam postea. Concinit cum Natali Ceillierius (*e*), nisi quod relinquunt ambo in Ambrosio maculam, quam eluere debuissent. Ajunt enim, secundum Ambrosium humana Abrahamum imbecillitate peccasse. Auctori de re Sacramentaria tantum abest, ut verba illa, *non-*

O *dum*

(*a*) Barbeyr. cap. 13. §. 9. 10. cum. not. (*b*) Ibid. §. 12.
(*c*) H. E. Saec. 4. cap. 6. art. 27. §. 4.
(*d*) Lib. 9. quaest. 3. cap. 1. §. 2. in solut. objectorum.
(*e*) Cap. 11. pag. 293. &c.

dum interdictum adulterium videbatur, facessant molestiam, ut Haereticos potius, vel adversarios sibi objicientes inducat, permixtionem Abrahami cum Agar ab Ambrosio vocari adulterium. Argumentum vero confutaturus respondet, eam permixtionem appellasse illum quidem adulterium, sed *per concessionem*, & *quasi aliorum non improbando sententiam*, *non affirmando* tamen, & *ex propria mente*. Nam Ambrosium alioquin omnem ab Abrahamo adulterii suspicionem, duabus maxime rationibus fretum repellere.

LXXII. Nos, re diu, multumque considerata, utramque doctissimorum hominum responsionem conjungendam putamus. Sic enim & Ambrosius secum ipse concordabit, & Abrahami sanctitatem non minuet, & quae toto quarto illo capite dixerit, nullo intelligentur negotio, ut oratio sponte fluere videatur. Recolendum est igitur, quod supra indicavimus, tripartito dividi defensionem Abrahami, quam in se recepit Ambrosius. Prima defensionis pars initio capitis continetur, ubi incisa, & membra orationis omnia, rerum series, totaque argumentatio aperte loquuntur per se, virum sanctissimum, concumbentem cum Agar, in adulterium incidisse. Sic enim exorsus est dicere. *Non abnuo, quod Abraham de ancilla susceperit filium, ut cognoscas, quod non superioris cujusdam naturae, ac substantiae fuit Abraham, sed unus e numero, & fragilitate universorum hominum..... Propositus est enim ad imitandum tibi, ut & tu advertas, quod si peccatis renunties, possis emereri Domini misericordiam*. Quae duplex ratio in nihilum recidit, nisi concedat Ambrosius, in vitio Abrahamum fuisse. Quomodo vero, concessa ea re, ad Abrahami defensionem aggreditur? Ita prorsus. *Sed consideremus primum, quia Abraham ante legem Moysis, & ante Evangelium fuit: nondum interdictum adulterium videbatur. Poena criminis ex tempore legis est*, caeteraque, ut supra §. LXX. Loci conclusio illa fuit: *& tu peccasti, cum Gentilis esses, habes excusationem &c.* Qua loquendi formula, *& tu peccasti*, manifeste iterum dat Ambrosius, Abrahamum se polluisse adulterio. Haec autem cum sint, Ambrosii vocem, *nondum interdictum adulterium videbatur*, necessario oportet intelligi de lege non naturali, sed ea omnino, quam externam, vel *positivam* nominant, ut recte

Na-

Natalis, Ceillieriusque exposuerant. Atque hinc non scripsit, *nondum interdictum adulterium erat*, sed cautissime ait, ac prudentissime, *nondum videbatur*. Quod etiam prope manu tentabit, qui singulas, quae subsequuntur, voces perpenderit, illam, verbi gratia, *poena criminis ex tempore legis est*. Ecce ergo Ambrosii sententiam. Dicet fortasse quispiam, adulterum Abrahamum fuisse. Ego nolo abnuere; esto, magnus ille vir ancilla usus peccaverit. Sed tamen est aliqua peccati excusatio, quia fuit ante legem Mosaicam, quae dissertis verbis adulterium condemnavit. At *sine lege peccatum nesciebatur*, & *minor erat culpa, ubi erat culpae ignorantia* (*a*).

LXXIII. Ex his illud quoque conficitur, Ambrosium non ex sua, sed ex aliorum loqui sententia, ubi concedit, & dat, Abrahamum fecisse adulterium. Id vero concedit, & dat, ut ostendat, hominem & ipsum fuisse, ex argilla, & luto fictum, non praestantioris cujusdam naturae; neque adeo recusare auditores posse, quin egregias illius, nobilissimasque virtutes sibi ad imitandum proponant: deinde, ut doceat, eos, qui a peccatis desistunt, divinam sibi conciliaturos esse misericordiam, atque clementiam: tertio, ut auditores intelligant, excusari peccata illorum non posse, qui legem Evangelicam cognoverunt, culparumque anteactae vitae veniam in Baptismo impetrarunt. Ad haec Ambrosium non affirmate, neque ex sua locutum esse sententia, luculenter demonstrant reliquae duae susceptae defensionis partes, ubi ab adulterii ignominia Abrahamum strenue vindicat. Vindicat autem ea de caussa, primum, quod non impellente libidine, sed ipsius uxoris hortatu, & propagandae sobolis studio cum Agar concubuit (licebat quippe iis temporibus uxores plures ducere), deinde, quia in duplicato illo Abrahami matrimonio elucebat mysterium, tantum abest, ut turpitudo aliqua inhaereret. Sed ipse audiatur Ambrosius. *Habes unam Abrahae defensionem. Secunda illa est, quod non ardore aliquo vagae succensus libidinis, non petulantis formae captus decore ancillae contubernio conjugalem posthabuit thorum, sed studio quaerendae posteritatis, & propagandae sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat generis humani:*

(*a*) Ambros. epist. 73. edit. Maurin.

erat etiam religionis, ne quis non reddidisse debitum videretur naturae.... Nec otiosum est, quod uxor auctor facti indicitur, ut excusetur maritus, ne vago raptus errore credatur. Infra autem: *duabus usi sumus defensionibus: Tertia quoque est, quam nobis Apostoli Pauli tribuit auctoritas.... Quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium, quo ea, quae posterioribus erant futura temporibus, revelabantur.... Agnoscamus ergo, quoniam haec, quae in figuram contingebant, illis crimini non erant: nobis autem erunt, si ad correptionem nostram scripta cavere nolimus*. Ubi sunt notatione dignissima illa Ambrosii verba, *quod ergo putas esse peccatum, advertis esse mysterium*. Manu enim Vir sanctus nos docet, ex aliorum sententia locutum se esse, cum antea assentiri videbatur, Abrahamum reum fuisse adulterii.

LXXIV. Deo igitur gratia. Salva est Ambrosii doctrina, & auctoritas, immo multis laudibus cumulata. Nam neque Abrahamum adulterum censuit (§. LXXIII.), & adulterium ipsum naturae lege, atque adeo ante Mosaica tempora interdictum fuisse, optime omnium intellexit (§. LXXII). Injuria igitur Barbeyracus illum de errore postulavit, qui vix in pueris fingi potest. Sed multo injuriosius affirmat, eundem secum pugnare. Ipso illo capite quarto, unde aculeata contorsit Barbeyracus sophismata, Ambrosius posuerat: *nemo sibi blandiatur de legibus hominum: omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet*. Et supra: *etsi natura ferus, ac barbarus* (Ægyptiorum scilicet Rex, qui in aedes suas abduci Saram jusserat), *tamen significat, etiam exteris, ac barbaris moribus esse curam pudoris, & adulterii etiam sibi crimen cavendum..... Nec mirum, si barbarus jus novit naturae, cum muta animalia licet nullis constringantur legibus, sunt tamen aliqua, quae non solum paribus suis copulae servent fidem, verum etiam coitus unius castitatem custodiant. Ita major lex naturae, quam legum praescriptio est* (*a*). Duo haec loca, aliaque id genus in medium eduxerat Ceillierius, persuasurus, Ambrosianam illam vocem, *nondum interdictum adulterium videbatur*, intelligi par esse de lege, litteris tradita, non de lege na-

(*a*) De Abrah. lib. 1. cap. 2.

naturae, *quae non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est: orta autem simul est cum mente divina* (*a*). At Barbeyracus, cum argumentis, testimoniisque convincitur, passim solitus dicere, Patres contraria scribere, nec sibi constare, hic quoque cantilenam illam suam insusurrat, & sententiarum pugnam affingit Ambrosio. *S'il se contredit ailleurs, c'est tant pis pour lui* (*b*). Quis non subirasci possit, quis non succensere? Non enim secum pugnat Ambrosius, bone vir, cum tradit, naturae lege vetari adulterium, sed apertius, rotundisque verbis confirmat id, quod initio capitis quarti involute docuerat, ubi sumebat, Abrahamum in adulterium incidisse (§. LXXII.). (1)

(*a*) Cic. de Leg. lib. 2. cap. 4. edit. Oliveti. (*b*) §, 12.

(1) I. Alia quaedam rimatus est, quantum potuit, venaticus noster canis, quibus Patrum de re venerea doctrinam minueret, atque irrideret. Carpit, verbi gratia, veluti hominem, qui vix ullum ingenii, & litterarum lumen habuerit, Irenaeum (cap. 3. §. 7.), quippe ex veteri Sacerdote docentem, Patriarchis, & Prophetis ea crimini vertenda non esse, quae non vituperant divinae litterae, eoque initio, & fundamento usum incestos Lothi, & Thamar cum Juda concubitus excusantem. Ego vero magnopere doleo, me in eum locum incidisse, ubi, ut saepe alias, bonam in doctissimo adversario fidem requirere debeo. Lothum enim ab incestus crimine Irenaeus absolvit non eo solum usus principio, sed, cur ipsum absolvendum putaverit, alias, & nervosas quidem, ex divinis litteris rationes producit, easdem videlicet, quas Origenes, Ambrosius, Joannes Chrysostomus, caeterique Patres opportunissime produxerunt. Affert etiam rationes nonnullas, quibus filias excuset, vel earum peccatum minuat: quas ipsas cum persecutus esset Origenes, *ubi hic*, interrogat, *libidinis culpa? Ubi incesti crimen arguitur? Quomodo dabitur vitio, quod non iteratur in facto?* Hom. 5. in Gen. Si Irenaeus incestum ipsum non esse crimen statueret, aliquid caussae esset, cur morum censor indignaretur. Sed quod ob reverentiam, quae adversus Patriarchas adhibenda est, rationes bonas quaerat, quibus virum justum, cujus sanctitas in sacris litteris celebratur, incestum non fecisse demonstret, quis hoc reprehendere merito possit, nisi cui volupe fortasse sit Chami imprudentiam, atque proterviam imitari? Veteris autem Sacerdotis doctrina, Irenaeo probata, istiusmodi est: *de eisdem delictis, de quibus ipsae scripturae increpabant Patriarchas, & Prophetas, nos non oportet exprobrare eis, neque fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem patris sui, & in maledictionem decidit... De quibus autem Scripturae non increpant, sed simpliciter sunt positae, nos non debere fieri accusatores [non enim sumus diligentiores Deo, neque super magistrum possumus esse], sed typum quaerere. Nihil enim otiosum est eorum, quaecumque inaccusabilia posita sunt in Scripturis. Quemadmodum & Lot &c.* Ubi Irenaeus hoc ponit, quod sacrae litterae non redarguunt, id Veteribus temere crimini vertendum non esse. Quam doctrinam nemo potest judicio meo reprehendere. Si enim iniquum est, aut parum sane religiosum, & pium certa viris sanctis, atque explorata flagitia exprobrare, ut ne Dei in nos iracundiam concitemus, quanto aequius interpretari in bonam partem, neque temere culpae adscribere debemus ea, quorum illos Deus in sacris litteris non incusavit? Praesertim si hinc argumenta duci possint, quibus Patriarcharum facta excusemus. Recte igitur judicavit Grabius, melior, credo, quam Barbeyracus, Theologus, qui in commentariis ad Irenaeum suis, expositis Patrum, quos dixi, sententiis, *observandum* edixit *Apostolici Presbyteri monitum, ab Irenaeo praecedenti capite memoratum*. In hunc loc. Quod monitum etiam Grotius de Jure Belli, & Pacis suscepit, atque adoptavit.

II.

II. Haec de Lotho Irenaeus lib. 4. cap. 11. edit. Maurin. De Thamar agit cap 25. ejusdem libri. Hic vero etsi, quantum potui, oculorum nervos contenderim, verbum nullum tamen inveni, quo is concubitum Thamar cum Juda excusare videatur. Ait, mulieris hujus partum duplicis populi imaginem prae se tulisse, mulierem ipsam vero non deliquisse, cum sui corporis copiam Judae fecit, non docet. Nuspiam salutarem, qua absolvatur Thamar, reperio litteram. Cujus rei judicium Lectori permitto. Est enim apertissima. Sed ne colligi quidem potest, quod fidenter Barbeyracus scripsit, ex superiore illo Irenaei principio (I.). Non enim de concubitu agit, sed de partu, neque concubitum, sed partum ipsum fuisse typum demonstrat. Cupio, Barbeyracum oculis bene valere.

III. Sed ecce aliud incorruptae Criticae, & honestae disputationis exemplum. Cyprianus in libro de disciplina, & habitu virginum, totus est, ut illas a luxu, turpique ornatu deterreat, ne saluti suae, & alienae noceant. In interiore libri parte id praecipue agit, ne fucis oculos, & vultum adulterent; quod ut impetret multas, & graves non solum, sed eloquentissimas rationes producit, illas nominatim, quod naturam, sive Dei opus corrumpunt, quod mentiuntur ipsis rebus, quod aliis peccandi occasionem aperiant. Doctrina ista nihil verius, nec salutarius. Barbeyraco tamen malus hic est Cyprianus magister morum, pessimus disputator. Itaque in eum locum tribus fere paginis declamat. Cap. 8. §. 32. -- 34. cum not. Cur? Quia scilicet postquam dixerat Cyprianus, *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare, & transfigurare contendunt*, rationem hanc affert, *nescientes, quia opus Dei est omne, quod nascitur, Diaboli quodcumque mutatur*. Quam ille rationem nihil probare confirmat. Sola, opinor, rei narratio persuadet, litigare, ut solet, Barbeyracum velle, honeste disputare non velle. Itaque etsi Cypriani argumentum minus grave videri fortasse posset, cum litigatore isto tamen diutius mihi differendum non esset. Buddaeo utar judice, qui pluribus enumeratis erroribus, a Barbeyraco Cypriano attributis, respondendum his prorsus verbis putavit: *cum tamen pleraque* crimina *ad facta quaedam, ad stilum, ad rationes, quibus adsertiones suas probavit, redeant, hisce immorari operae pretium non esse duco*. Isagog. ad Histor. Theolog. in not. ad §. 4. cap. 4. lib. 2. Cyprianus, ea allata ratione, non aliud docuit, praeter id, quod scripsit Ambrosius, qui pulcherrimum ejusdem locum imitatus particulam, qua de agimus, sic expressit, *quod si quis adulterat opus Dei, grave crimen admittit* (Hexam. lib. 6. cap. 8.): & quisquis vel leviter rem consideraverit, totumve locum perlegerit, intelliget sane de mutatione Cyprianum loqui, quam neque necessitas, neque utilitas, neque alia honesta ratio postulat. Unde non sequitur, nefas etiam fore barbam tondere, & capillum praecidere.

IV. Quid, quod Cypriani doctrina vero, ut posui, consentanea est, neque Evangelio solum, sed naturae lumini congruens, eamque vir sanctus non illa dumtaxat ratione, in quam Barbeyracus declamat, sed aliis praeterea robustioris generis argumentis sepsit, atque firmavit? Est ne vero boni, & ingenui disputatoris rationem unam aliquam, a caeteris avulsam, atque sejunctam, arripere, argumenta reliqua dissimulare, & inobscurare silentio? Quid nobilius illa totius loci parte, ubi mulierem cum pictore Cyprianus confert? Eam partem tanti Augustinus fecit, ut tanquam grandis dictionis exemplar lectoribus imitandam proponat: itaque verbo ad verbum exscripsit; ego vero hic recitabo, ut vel ex una ista particula de totius loci nobilitate, atque praestantia liquidius judicetur. Sic igitur apud Augustinum loquitur Chartaginensis Antistes: *si quis pingendi artifex vultum alicujus, & speciem, & corporis qualitatem aemulo colore signasset, & signato jam, consummatoque simulacro, manus alius inferret, ut jam formata, jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria, & justa indignatio videretur. Tu te existimas impune laturam tam improbae temeritatis audaciam, Dei artificis offensam? Ut enim impudica circa homines, & incesta fucis lenocinantibus non sis, corruptis, violatisque, quae Dei sunt, pejor adultera detineris. Quod ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, praevaricatio est veritatis. Monentis Apostoli vox est*, expurgate vetus fermentum, ut sitis nova conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque festa celebremus non in fermento veteri, neque in fermento malitiae, & nequitiae, sed in azymis sinceritatis, & veritatis.

tis. *Num sinceritas perseverat, & veritas, quando quae sincera sunt polluuntur, & colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur?* Lib. 4. de doctr. Christ. cap. 21. num. 49. edit. Maur.

V. Ad extremum Barbeyracus sic habeat, in aestimando rationum pondere, quibus utebantur Veteres, ut Christianam plebem ad officii munus instruerent, consideranda attente esse loci, temporis, personarum, quibuscum loquebantur, adjuncta; eisdem vero fuisse propositum non solum mentes hominum erudire, sed etiam flectere animos, voluntatemque ad vitae actionem impellere. Id enim si considerare voluerit, consentiet nobiscum, & Patres doctoris officio sanctissime functos esse, & id egisse, quod erat necessarium, ut optata consequerentur, neque illorum rationes, si praesertim cum aliis conjungantur, tanquam leves, nugatorias, minusque ad persuadendum idoneas irrideri oportere. An vero rationes singulae, quibus superbi isti juris naturae scriptores opiniones, vel sententias suas confirmant, cogendi vim habent, ejusdem sunt efficacitatis, & ponderis? Sunt graves, leves, mediae, genere dissimiles, vi inaequales (ut falsas taceam, perniciosas, pietatique contrarias), sed tamen omnes simul, cum sunt coacervatae, proficiunt. Quod si non propterea malum se, & ignobilem Barbeyracus putat naturae legis interpretem, cur secus de Patribus sentiat? Cum illi potissimum ingenium, & litteras vitae sanctimonia cumulaverint, in Christianis ardens pietatis, atque innocentiae studium incenderint, doctrinam suam a Christo, ejusque discipulis hauserint. Hac una animadversione bona Barbeyriciani operis pars refutatur. Auctor enim quando doctrinam elevare non potest, id persaepe consilii capit, ut in rationes allatas a Patribus invehatur, easque, adhibitis machinis, falsi, aut levitatis coarguat, quod haud obscurum est desperatae caussae argumentum.

VI. Haec de Cypriano. Multo plus habet contumeliae, & acerbitatis oratio, qua Barbeyracus Basilianam de moechis sententiam, & decretum objurgat. Vult enim, Caesariensi Antistiti placuisse, satius esse, magisque expedire eos, qui moechati inter se sunt, divellere, atque sejungere, quam legitimo matrimonio copulare; quod ipse judicium ferendum non censet, quippe ab omni prudentiae, & rationis regula alienum. Cap. 11. §. 16.--20. Pace objurgatoris dixerim, nihil tale Basilio statutum est. Itaque nihil erat, cur efferretur iracundia. Ecce autem illius locum in secunda ad Amphilochium epistola can. 26. ex editione Garnierii. *Fornicatio matrimonium non est, sed ne matrimonii quidem initium. Quare si fieri potest, ut qui per fornicationem conjuncti sunt, separentur, id quidem optimum est: sin autem eis omnino placeat conjugium, fornicationis quidem poenam agnoscant, sed minime separentur, ne quid deterius accidat.* Quem locum Criticus ille reprehendit, propterea quia non intellexit. Statuit autem Basilius, ut qui per inhonestum concubitum conjuncti sunt, separentur, subjicianturque legibus poenitentiae, & idcirco ipsis suaderi jubet, ne antequam curriculum illud poenitentiae confecerint, secum ineant matrimonium: esse id enim factu optimum: si vero diutius differre matrimonium noluerint, vel jam inierint ante obitam poenitentiam, edicit, eos quidem peccati luere poenam debere, ne hoc tamen quidem tempore esse separandos, nisi ipsi ultro, ac sponte consenserint, quo videlicet effugiatur graviorum criminum, intemperantiaeque periculum. Haec est Basiliani loci notio, atque sententia, eaque nativa, atque perspicua, quo etiam modo Balsamon illum exposuit. Non igitur Viro sancto in mentem venit statuere, expedire magis, ut moechi divellantur, quam ut honestis secum nuptiis copulentur: eamque interpretationem proxime superior canon confirmat, ibi sanctum est, ut qui virginem constupraverit, is quidem stupri poenam luat, ab illius tamen conjugio non sejungatur. Itaque hoc unum Basilio maxime in optatis fuit, ne moechi, si fieri posset, ante matrimonium inirent, vel, si iniissent, ne ante legitimo concubitu uterentur, quam debitas crimini poenas luissent.

VII. Quod autem a principio dixit, fornicationem neque matrimonium esse, neque matrimonii initium, vere dixit, ac prudentissime. Dixit autem propterea, ne moechi fortasse, qui secum matrimonium iniissent, per summum errorem existimarent, sibi obeundum non esse poenitentiae curriculum: neque ego diutius tempus teram in refellendis nugis, quibus praeclarissimam illam Basilii vocem studuit Barbeyracus minuere. Sua se enim stabilitate, suis se momentis defendit. Illud vellem, ut accuratius Barbeyracus,

LXXV. Barbeyraco tamen, cui libera eſt judicandi poteſtas, decernere placuit, Veteres non adulteria ſolum, ſed etiam furta approbaſſe. Nec vero in ferenda ſententia infinita, ut poſſet, licentia abutitur, ſed tam incorrupte judicat, ut ne Rhadamantus quidem eo incorruptior. Dubitatis? Atqui & Hieronymus lege, quae eſt de conferendis tributis, Chriſtianos ſolvit, & Theodoretus Abdae facinus laudat, qui cum apud Perſas Templum ignis inconſiderate evertiſſet, mori potius maluit, quam juſſus a Rege Templum reficere. Hieronymi locus dubitationem non habet: perſpicuis enim, & diſertis verbis, quae alio detorqueri non poſſunt, concipitur, proſtatque in Commentariis ad cap. 17. ver. 24. & 25. Matth. volúmine 7. edit. Vallarſii. Qui ergo Chriſtianos gloriantur ſe eſſe, illis ab Hieronymo tributorum datur immunitas; conſtat autem, furtum facere Chriſtianos, qui regibus tributa non conferunt; furta ergo Hieronymus approbavit. Quae cum Barbeyracus tanquam de ſella, & tribunali pronunciet (*a*), quis, oro, illi poſſit obſiſtere?

LXXVI. Sane quidem in omnes ego partes me verti, ut tam gravis judicii veluti laqueos declinarem; elabi tamen non poteram. Unum igitur conſtituendum putavi, Barbeyracum hoc loco de poteſtate mentis exiſſe. Neque me, credo, fefellit opinio. Numquid enim latebat Hieronymo, quod diſertiſſime Paulus Romanis praeceperat, *reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal* (*b*)? Numquid autem Romani Chriſti nomine non cenſebantur? Qui ergo ſine ſuſpicione haereſeos, adverſus tam locuples Paulinae epiſtolae teſtimonium, ſcribere Hieronymus potuit, Chriſtianos ſolutos lege eſſe, quae eſt de conferendis tributis? Neque enim ab haereſi longe abeſt is, cujus oratio perſpicuis ſacrarum litterarum oraculis adverſatur. Atque eo ſine dubio ſpectarunt Gallicani Cleri Comitia, cum anno 1700. hanc Amedei Guimenii opinionem, *ſubditi poſſunt juſta tributa non ſolvere,*

racus, atque diſtinctius epiſtolam, de qua egimus, deſignaſſet. Poſuit enim epiſtolam ad Amphilochium, prima ne autem ſit, an ſecunda, non poſuit. Quod etſi leviuſculum videatur, dedecet hominem tamen, qui ſetas in ovo quaerit, & magnos Patres prorſus aſpere, & contumelioſe tractavit.

(*a*) Cap. 15. §. 5. & 6. cum not. (*b*) Cap. 13. ver. 7.

vere, diris omnibus confixerunt, *ut seditiosam*, *doctrinaeque Apostolicae*, *ac dictis Dominicis aperte contradicentem*. Exploratum ergo esse debet, Hieronymum nihil de tributis sentire, quod cum lege divina, cum recta ratione, cum potestate, & jure eorum, qui imperant, pugnare aliquo modo videatur. Quae sit autem totius loci vis, & sententia, adeo liquere arbitror, ut res, me quidem judice, neque doctorem, neque lumen desideret. Ceillierius (*a*) ut ostenderet, nunquam Hieronymo in mentem venisse, ut repugnante experientia, diceret, *Christianos omnes a vectigalibus immunes esse*, illo usus ejusdem testimonio fuerat, *quod ait Christus*, reddite, quae sunt Caesaris, Caesari, *idest nummum*, *tributum*, *& pecuniam*: & quae sunt Dei, Deo, *decimas*, *& oblationes*, *ac victimas sentiamus* (*b*). Nihil autem negotii esset patefacere hujus testimonii vim, quam praeteriens elevare Barbeyracus conatur, ea distinctione adhibita, quae, si unquam alias, hoc certe loco cumprimis juris naturalis interprete indigna est (*c*): sed non debeo abuti tempore, neque Auditorum patientia.

LXXVII. Id prorsus volo, Barbeyracum, ut posui, de potestate mentis exisse. Quamvis enim concedi nequeat, fingatur tamen, credidisse Hieronymum, fideles Christi non subesse ei legi, quae vectigalia jubet persolvere. An idcirco, ut ad singula fere accusationis capita adversarius dictitat, inepti sunt Patres officiorum magistri? An discere ab illis non possumus, solvenda tributa esse, quae juste imperantur? Atqui nihil nec saepius, neque uberius, neque distinctius tota clamavit antiquitas. Quid enim Justinus? *Illud etiam studio nobis est*, *ut vectigalia*, *& census iis*, *quibus hoc munus commisistis*, *primi omnium pendamus*, *quemadmodum* a Christo *sumus instituti* (*d*). Sed jussum videlicet hoc Hieronymus ignoravit. Quid Tatianus in oratione contra Graecos? *Jubet Rex tributa pendere? Paratus sum solvere* (*e*). Quid Irenaeus Lugdunensium Episcopus? *Secundum hoc reges ministri Dei sunt*, *qui tributa exigunt a nobis*, *in hoc ipsum servientes* (*f*). Quid Tertullianus?

(*a*) Cap. 13. pag. 332. (*b*) In cap. 22. ver. 21. Matth.
(*c*) Ibid. §. 6. (*d*) Apol. 1. num. 17. ed. Maur.
(*e*) Num. 4. (*f*) Lib. 5. adv. Haer. cap. 24. num. 2. edit. Maur.

nus? *Sed caetera vectigalia gratias Christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus* (*a*). Quid Cyprianus? Ejus judicium cum magistri judicio congruit (*b*). Sed nihil necesse est plures ab ultima antiquitate testes arcessere, cum Barbeyraci deliciae, Clericus animadverterit, *diligenter* tributa, & vectigalia *inculcasse* Veteres *ex Apostolica doctrina, ne res novas moliri credi possent* (*c*). Nondum scilicet in Christianam Rempublicam serpere coeperat corruptissima illa Angeli e pago Clavasio, Navarri, Soncini, Maedinae, & aliorum opinio, negantium eos delinquere, qui per fraudem vectigalia juste imperata non solverint. Neque posteriores Patres cum vetustissimis non consentiunt. De Augustino jam vidimus (§. LXXVI.). Joannes autem Chrysostomus in publicanorum quidem crudelitatem invehitur, tributorumque immoderationem acriter improbat in pereleganti, & nobili libro, ubi Regem, & Monachum inter se comparat; justis tamen vectigalium legibus sanctissime parendum esse, sumit pro concesso, & probato (*d*). Basilium etiam tributa pendi velle, illud locuples est argumentum, quod commendatitias scribit ad magistratus epistolas, ut tributa ipsa certis quibusdam hominibus condonentur. Modestum, verbi gratia, Praefectum rogat, *ut ferri tributum iis, qui Taurum ferri feracem incolunt, fiat tolerabile, ne statim obruantur, sed publicis usibus diu inserviant* (*e*). Et Ambrosius ita Christianos omnes alloquitur. *Tu si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere quae Mundi sunt: sed si habes divitias, obnoxius Caesari* (*f*). Longum esset caetera persequi, unde ad veritatem liqueat, de statu mentis dejectum Barbeyracum fuisse, ubi docere instituit, ex Patribus morum leges depromi non posse, quod Hieronymus, ut ipse finxit, Christi fideles e tributis exemerit.

LXXVIII. Finis igitur sit, & ad Theodoretum, a quo Abdae facinus approbatum est, progrediatur oratio. Theodosio minore imperante, *Isdegerdes Persarum Rex, Ecclesiis* gentis

(*a*) Apolog. cap. 42. V. etiam lib. de Idolol. cap. 15. & Scorpiac. cap. 14.
(*b*) Testim. lib. 3. cap. 5. (*c*) H. E. ad an. 139. num. 9. not. 14.
(*d*) Num. 3. Tom. 1. edit. Maur.
(*e*) Epist. 110. alias 277. V. epist. 284. 285.
(*f*) Lib. 9. in Luc. cap. 20.

gentis suae bellum intulit, occasione inde arrepta. Erat quidam Episcopus, nomine Abda, multis virtutis generibus ornatus. Hic zelo immoderato impulsus Pyreum destruxit. Ita Persae vocant Templa igni consecrata: ignem enim Deum esse arbitrantur. Rex ea de re per Magos certior factus Abdam ad se evocavit. Ac primum quidem leniter id facinus reprehendit, jussitque, ut Pyreum aedificaret. Sed cum Abda contra diceret, Rex cunctas Ecclesias se destructurum minatus est. Sed & minas suas ad effectum perduxit. Etenim divino illo viro prius trucidari jusso, Ecclesias solo aequari praecepit. Ego vero Pyreum quidem intempestive ab Episcopo destructum fuisse fateor.... Quod vero eversum fanum minime instauraverit, sed mori maluerit, quam id praestare, id equidem admiror, & coronis dignum judico. Igni enim templum extruere, non minus esse censeo, quam eundem adorare. Haec Historiae suae monumentis Theodoretus mandavit (*a*). Cum vero Abdae constantiam, atque virtutem, qui aedem igni sacram restituere noluit, omni praedicatione, & laude dignam existimet, eum propterea Barbeyracus secundum Baelium perniciosissimi erroris insimulat, insulsisque, ut solet, ac miseris officiorum magistris adnumerat. Ratio illa est, quia lex naturae ignorabilis nemini, praecipit, resarcienda esse damna, quorum proximis caussam attuleris. Theodoretum tamen multis, optimisque argumentis egregie mihi defendisse videtur Ceillierius (*b*). Non posse enim sine teterrimo Idololatriae, scandalique, ut vocant, flagitio, Deorum templum instaurari, compluresque Martyres, & viros sanctos omni ope obstitisse, ne alias detrimentum id genus sarciretur. Sic Theodosium juniorem, cum antea jussisset, Judaeis synagogas restitui, quas nostri illis ademerant, sanctissimi hominis, Simeonis stylitae obsecratione, ac prece, immo etiam objurgatione commotum revocasse edictum, & Praefecto Praetorii, qui ejus legis suasor fuerat, potestatem abrogasse (*c*). Sic Marcum Arethusiorum Episcopum, cum Deorum aedem evertisset, gravissimis licet, & pene infinitis excruciatum tormentis, noluisse neque illam reficere, neque sumptus ad id necessarios suppeditare; instantibus

P 2

(*a*) Lib. 5. cap. 39. (*b*) Cap. 15.
(*c*) Evagr. H. E. lib. 1. cap. 13.

tibus vero Arethusiis, ut modicam saltem pecuniam contribueret, intrepide respondisse, *vel unum obolum dare ejusdem impietatis esse, ac summam integram praestare* (*a*). Sic Ambrosium Valentiniano (non Theodosio) Imperatori suasisse, ut ne Deorum aras reficeret, ne suppeditaret sumptus ad sacrificia, ne Virginibus Vestalibus immunitates daret, quibus antea fruebantur. (*b*).

LXXIX. Paginas quidem non minus undecim in id Barbeyracus insumpsit, ut haec, atque alia plura dissolveret (*c*); contumeliis etiam, multisque probris, ut caussam vinceret, & Ceillierium, & Ambrosium, & Simeonem Stylitam, & Theodosium Magnum affecit: argumenta tamen, quibus Theodoretum, unaque Abdam Ceillierius ipse defendit, me quidem judice, non elevavit. Et quod caput est, censor is, qui omni saepe asseveratione confirmat, Ceillierium nominatim, & Ambrosium tum argumentationis leges, tum evidentiora disciplinae morum principia mirabiliter ignorare, haud raro ita differit, ut ne primaria quidem Theologiae, nec legis naturae capita didicisse videatur. Non falsus vates sum. Quaerit, cur Abdas detrimentum Persis sarcire non debuit, Templumque reficere? Importuna interrogatio. Jam enim Theodoretus responderat, *igni Templum exstruere non minus esse, quam eundem adorare*. Nuspiam autem hanc rationem Barbeyracus refellit. Neque Idololatriae, inquit, neque scandali reus fuisset, si ad Isdegerdis nutum, Templum Abdas abs se dirutum refecisset. Cur vero? Quia videlicet neque ipse propterea ignem tanquam Deum agnoscebat, neque hoc de se suspicandi aliis occasionem dabat. Quod si nihilominus metuisset, ne hinc Persae colligerent aliquid, quod ad Christianae religionis redundaret infamiam, satis erat aperte dicere, se instaurantem Templum, colendis Diis destinatum, illud spectare dumtaxat tanquam aedificium, quod aliis debebatur (*d*). Vide Theologum argutissimum, qui vel nesciat, vel nescire se simulet, *dignos esse morte non solum qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus* (*e*), idest qui peccantibus operam suam navant. De-

(*a*) Theodor. lib. 3. cap. 7. (*b*) Epist. 17. olim 11.
(*c*) Cap. 17. §. 3.-14. (*d*) Ibid. §. 7.
(*e*) Ad Rom. cap. 1. ver. 32.

Declaratio illa ne hilum quidem proficere poterat ad Idololatriae ſcelus, & ad offenſionem aliorum vitandam. Scilicet eo flagitio, & ſcelere non implicantur hi ſolum, qui Deos venerantur, & colunt, ſed etiam qui agunt id, quod ad falſi Numinis venerationem, & cultum refertur. Ejuſmodi enim homines, niſi animo, at certe rebus ipſis, & factis Deorum, atque adeo impietatis cultores ſe profitentur. Quapropter Romanae Inquiſitionis decretis merito prorſus definitum eſt annis 1626. & 69. *nullo modo licere Chriſtianis, nec ulla cauſſa, aut motivo poſſe permitti, aut tolerari*, ut operam collocent in aedificandis, aut reſtituendis Templis Deorum, ut pavimentum verrant, ut parietes, & altaria tergeant, ut aperiant, & claudant fores. An vero Paulus non homines illos execratur, qui *confitentur, ſe noſſe Deum, factis autem negant*? An non vetus Eccleſia jure optimo, & maximo Helceſeitas ejecit, commentos, criminoſum non eſſe religionem ſimulare, modo recta adverſus Deum fides in animo permaneret? An non ſapientiſſime & illos damnavit, qui extrinſecus ſolum, & ſimulate thus Diis adolebant, vel magiſtratibus numerabant pecuniam, ne religionis cauſſa in jus vocarentur, etſi nullam in Idolis divinitatem agnoſcerent? Quid? An Pilato ferenti in Filium Dei ſententiam profuit coram Judaeis profiteri, *mundum ſe eſſe a ſanguine juſti hujus*? ſexcenta ſunt, quae doceant, non potuiſſe Abdam ſine deteſtabili ſcelere ignis aedem reſtituere, quamvis ignem veluti Deum non coleret. Eſt enim ſuapte natura criminoſum id facere, & nunquam licet ea moliri, aut quoquo modo adjuvare, in quibus aperte ineſt impiae, & falſae religionis profeſſio.

LXXX. Omnes hinc machinae & Baelii, & Barbeyraci levitate ſua vacillant, & concidunt. Quamvis enim naturae lege jubeamur aliorum damna ſarcire, vim ea tamen non habet, cum damna ſarcire ſine multis noſtris peccatis non poſſumus, ut ſtatuerat Ceillierius. Neque id portenti ſimile Barbeyraco videri debet. Exploratum quippe eſt, differri interdum in opportunius tempus, atque extrahi reſtitutionem poſſe, ſi quis rem alienam, injuſte licet poſſeſſam, reſtituere confeſtim nequeat ſine pergravi vitae, ſalutis, famae, innocentiae ſuae, vel ſuorum periculo, ut noſtri Theologi demonſtrarunt,

non

non minuti solum, sed viri sanctissimi, auctoresque gravissimi Raymundus, Thomas, & Antoninus (1). Cum igitur non potuerit Abdas restituere ignis delubrum, quin & Idololatriae labem susciperet, & ea re animos piorum offenderet (§. LXXIX.), non modo argui criminis nequit ob damna non compensata, sed egregie prorsus Theodoretus fecit, qui divinum virum propter summam in oppetenda morte constantiam multis laudibus decoravit. At propterea peccavit Abdas, quia aedem ignis evertens detrimento Persis fuit (*a*). Ut mavis: nihil enim necesse est id subtilius, & contentius quaerere,

(1) Immo si forte mulier damna ex adulterio in familiam profecta compensare non possit, nisi crimen marito suum, vel filiis legitimis, aut etiam nothis aperiat, illud detegere lege justitiae non jubetur: atque in his rerum adjunctis satis est, ut doleat de adulterio, & Deo illius poenas persolvat, Sacerdotisque sententia absolvi debet. Nam si marito crimen detegeret, vitae, aut certe infamiae subiret periculum. Nemo autem jubetur restituere bona inferioris, ut loquuntur Theologi, ordinis cum jactura bonorum ordinis altioris, quae sunt videlicet praestantioris naturae. Hinc etiam adulteri caedes, exitiosa inter familias dissidia, & graviora alia detrimenta, & incommoda facile possent existere. Legi unus de multis potest Natalis Alexander, qui hac de re pulcherrimis argumentis, ex jure quoque Pontificio desumptis, luculenter disputavit. De 6. Decal. praec. art. 2. reg. 2. Ego vero doctrinam, quam trado, ut Abdam injustitiae absolvam, constituere etiam possem tum aliis rationibus, tum illa potissimum, quod ubi plures concurrunt leges, vel officia, quae videntur contraria, singulis autem satisfieri nequit, ei legi parendum est, sive eo fungendum officio, quod majorem *obligandi* vim habet, vel, ut latinius dicam, quod graviorem parendi necessitatem imponit. Haec talia sunt, quae ne puerorum quidem cognitionem effugiant. Collibitum est mihi tamen locum producere Pufendorfii: ludus est enim, mihi credite, ludus est argumentum frangere, cujus vim vinci non posse tumidis buccis Barbeyracus, & Baelius praedicant.

Haec igitur Pufendorfii oratio. *Contingit frequenter, ut duae leges affirmativae, aut altera affirmativa, altera negativa videantur inter se velut collidi, sic, ut utrique eodem tempore nequeat satisfieri. Hic simpliciores quidam putant, comparationem fieri inter duo mala, seu peccata omissionis, illudque suscipiendum, quod omisisse majus peccatum videtur. Revera tamen hic non ex duobus peccatis eligitur minus, sed quod extra ejusmodi collisionem peccatum erat, id peccatum esse desinit, ubi validioris legis implendae necessitas incumbit. Sic, verbi gratia, ubi collisio fit inter praeceptum affirmativum, da eleemosynam, & negativum, ne furtum facias, sine dubio non est furandum, ut eleemosynae suppetat materia, juxta illa Apostoli,* non sunt facienda mala, ut eveniant bona. *In hoc tamen casu non dare eleemosynam peccatum proprie non est, quia praecepta affirmativa vim obligandi non exserunt, ubi agendi materia deficit. Sic ubi collisio fit inter duo praecepta affirmativa, verbi gratia, pare Deo, & pare magistratui, sine dubio Deo magis oportebit obedire, quam hominibus (quam sententiam expressit Socrates apud Platonem in Apologia ...* O viri Athenienses, diligo vos equidem, atque amo, Deo tamen parere malo, quam vobis,) *non quia ex duobus malis minus est eligendum, sed quia malum non est magistratui non obedire, ubi id citra violationem obsequii Deo debiti nequit fieri. Obligatio quippe laxior cedit arctiori, quando utrique simul nequit satisfieri*. De Jure Nat. & Gent. lib. 1. cap. 3. §. 8.

(*a*) Ibid. §. 6.

re. Sumant igitur, per me licet, Barbeyracus, & Baelius, minus recte fecisse Abdam idcirco, quia, everso ignis Templo, detrimentum Persis dedit. Numquid igitur resarciri detrimentum oportuit? Jam ostendi, non esse id consequens. At saltem debuit Abdas Templum citius instaurare, quam committere, ut Isdegerdes furore inflammatus tot Templa nostra dirueret, quam se non solum, sed universam plebem in horribilium poenarum, & mortis discrimen adducere: praesertim quia, si quod in aliis scandalum exstitisset, illud *acceptum* fuisset, non *datum* (a). Sed haec Baelii, & Barbeyraci sophismata eodem, ut vides, modo quam facillime diluuntur, vel potius refutatione non egent. Nugae sunt hominum, quos obtrectandi libido eo provexit, ut dedicisse etiam videantur notissimam illam naturae legem, *non sunt facienda mala, ut eveniant bona*. Atqui

Dediscit animus sero, quod didicit diu (b).

LXXXI. Cognoscite igitur mecum, an reliqua nervorum plus habeant. Vociferari Barbeyracus non desinit, omnino debuisse Abdam Templum reficere, itaque damnum, quod Persae fecerant, reparare. Ut vero caussam vincat, fingit sibi hostem, quem feriat. Clamat enim, restitutionis lege solutum non propterea Abdam fuisse, quod Persae, instaurato Templo, Idololatriae operam ibi dedissent. Quippe rationem hinc depromptam aut prorsus expertem esse ponderis, aut, si quid valere ad docendum potest, eo etiam valituram, ut doceat, neminem unum lege, quae est de resarciendis damnis, teneri, simul atque animo providet, illum, cui damnum intulerit, vel cui aliquid debet, re sua abusurum. Hoc modo restituere nemo debebit commodatam sibi ab Idololatra pecuniam, si videat, creditorem facturum esse sumptus in res, quae ad cultum Deorum referuntur. Prodigus est, & luxuriosus nepos, qui aliquid apud me deposuit. Potero sine injuria non depositum reddere, quo homo ille abutetur. Verbo, si metus, aut su-

(a) Ibid. §. 3. & 7.
(b) Seneca in Troad. ver. 633.

ſuſpicio, ne quis male utatur rebus ſuis, poteſt auctorem damni reſtitutionis lege ſolvere. facile erit vitia fingere, ut ne damni auctor tam incommodo reſtitutionis officio obligetur. Quod quid aliud eſt, quam totam morum ſcientiam longe expeditius, atque adeo periculoſius, quam a Caſuiſtis factum ſit, labefactare, unoque ictu a fundamentis convellere? Quae vitae lex, bone Deus! Et in quos turbulentos errores non rapimur, ubi, poſthabito rationis lumine, & ſacris litteris, totos nos coecis ducibus tradimus (*a*)?

LXXXII. Sed me Barbeyraci miſeret, qui in hos clamores erumpat, Patreſque noſtros, atque Theologos tot interea conviciis conſectetur, Andabatarum dum more pugnat. Primum enim non docui, non debuiſſe Abdam templum reficere eam ob cauſſam, quod ibi Perſae Idololatriae dediſſent operam, ſed quod reficere ipſe non poterat ſine teterrimo ſuo Idololatriae peccato, & offenſione aliorum (§. LXXIX. LXXX.). Exempla igitur a Barbeyraco producta ad hunc locum non quadrant. Neque enim ſuapte natura criminoſum eſt aut Idololatrae pecuniam ſuam, aut alteri rem, quam apud nos depoſuerit, reddere. Turpe eſt autem per ſe, flagitioſum, & deteſtabile aedem igni conſtruere, etiam ad reſarciendum detrimentum (ibid.). An ignoramus illud Pauli, *manifeſta ſunt autem opera carnis, quae ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, Idolorum ſervitus .... quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur* (*b*)? Idolis autem fortaſſe non ſerviunt, qui illorum delubra reſtituunt? Deinde ſuperiora exempla in ipſum Barbeyracum faciunt, vel judicibus pueris. Reddere enim depoſitum ſaepe peccatum eſt. Unde Ciceronis laudatiſſima illa vox, eruditorum omnium, Grotii quoque, Pufendorfii, & ſimilium conſenſione approbata: *ſi gladium quis apud te ſana mente depoſuerit, repetat inſaniens, reddere peccatum ſit, non reddere officium. Quid ſi is, qui apud te pecuniam depoſuerit, bellum inferat patriae, reddas ne depoſitum? Non credo; facies enim contra rempublicam, quae debet eſſe cariſſima* (*c*). Arripuerat id autem Cicero ex Platone, ex

(*a*) Ibid. §. 3. 6. & 7.
(*b*) Ad Galat cap. 4. ver. 20. & 21.
(*c*) Lib. 3. Offic. cap. 25. edit. Oliv.

ex Cicerone arripuit poſtea Ambroſius, cui valde Puſendorfius aſſentitur (a). Ergo non ſemper depoſita reddenda, quae ſunt iis ipſis pernicioſa, quibus reddideris: atque id Barbeyraci diſputationem evertit. Nequeo igitur intelligere, qua is fronte de Ceillierio loquens potuerit ſcribere, *il ne répond rien, & il ne peut rien répondre à ce qu' on a dit, que perſonne n' eſt reſponſable de l' abus que ſont les autres de ce qu' il leur rend, comme leur étant dû* (b). Clare enim, & perſpicue docui, graviſſime interdum peccare nos poſſe, ſi rem domino ſuam, qua certo abuſurus eſt reddamus, etſi ea ipſi res ex juſtitia debeatur. Neque ſolum peccabimus, ſed etiam reſarcire damna jubebimur, ſi furioſo homini, de ſua, aut aliorum pernicie cogitanti, reſtituerimus gladium, apud nos, cum ſanae mentis eſſet, depoſitum. Vid. l. 54. *Si pignore* §. 4. D.

LXXXIII. Poſt haec reſpondere Barbeyracus non poterit, reddendum quidem non eſſe depoſitum, cum id adhibiturus eſt dominus aut ad faciendam caedem, aut contra ſalutem communem, reſtituendas tamen dominis res omnes ſuas, etſi his rebus ad alia peccata abuti velint. Nam ſi hoc reſponderet, ſecum aperte pugnaret, qui magna voce clamaverat, *Que perſonne n' eſt reſponſable de l' abus que ſont les autres de ce qu' il leur rend, comme leur étant dû*. Utatur hac tamen reſponſione, ſi placet, & ſecum ipſe, libentibus nobis, conſentiat: conſtabit nihilominus tertium, eum abs re diſputare. Pono enim infinitam quaeſtionem. Pecunias a me neſcio quis ſuas repetit, certo dilapidaturus in ſcorta, commeſſationes, ludos, & ſimilia peccata. Numquid reſtituere debeo? Juſtitiae quidem lex reddere ſtatim jubet, ſecus lex charitatis, qua jubente, *multa bona ſunt praeſtanda invitis, dum eorum potius utilitati, quam voluntati conſulitur* (c). Quo loco conſitentes habeo non Chriſtianos ſcriptores, quibus magis, quam Patribus noſtris, Epiſcopiſque ſanctiſſimis aſſuevit adverſarius credere. *Depoſitum reddere per ſe res expetenda eſt: non tamen ſemper reddam, nec quolibet loco, nec quolibet tempore .... Intuebor utilitatem ejus, cui redditurus ſum, & nociturum illi depoſi-*

(a) Lib. 5. de J. N. & G. cap. 4. §. 7. (b) Ibid. §. 7.
(c) Apud S. Antoninum 2. par. tit. 2. cap. 8.

positum negabo. Est haec Senecae vox (*a*), a Pufendorfio approbata (*b*). Et quoniam Barbeyracus exemplo uti voluit hominis prodigi, atque luxuriosi, non desunt veterum testimonia, de his hominibus sigillatim loquentium. De prodigo Philo Judaeus (*c*) apud eundem Pufendorfium. *Depositum, quod accepisti a sobrio, nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris. Nam qui sic sua recipit, ab eorum usu excluditur iniquitate temporis*. Nihil apertius. Depositum, Philone auctore, ne prodigo quidem reddendum. Sed neque luxurioso, si fides Quintiliano (*d*), cui ex parte idem ipse Pufendorfius assentitur.

LXXXIV. Mihi videor, nisi φιλαυτία me decipit, plenissimis velis navigasse. Contrahamus illa nunc, totiusque argumentationis vim sub uno veluti adspectu ponamus, ut deinde, quae ex superioribus consequentia sint, nullo etiam negotio possimus cognoscere. Volebat Barbeyracus, si quis re sua abutatur, quae ipsi redditur, & debetur, id crimini ei verti non posse, qui reddidit (§. LXXXI. LXXXII.). Totum hoc falsum esse partim rationibus, partim testibus patefeci (§. LXXXII. LXXXIII.): quibus ex rebus sequitur, non demonstrasse adversarium, Templum ignis ab Abda instaurandum fuisse (ibid.). Antea vero docui, non potuisse Abdam id Templi reficere, quin & ipse se Idololatriae scelere obligaret, & animos bonorum offenderet (§. LXXIX. LXXX.). Ergo non debuit Abdas reficere (ibid.): quare & Barbeyraci disputatio ad rem non facit, idemque immerito prorsus invectus in Theodoretum fuit, qui Abdae facinus singulari laude, & praeconio est prosecutus. Hinc sponte sua consequitur, praeclare etiam gessisse se Marcum Arethusiorum Episcopum, qui, cum, Imperatore Constantio, Deorum delubrum labefactasset, noluit illud, Juliano imperante, suis sumptibus instaurare. Cujus consilium, atque propositum, ante Theodoretum, Sozomenumque a Gregorio Nazianzeno magnopere collaudatum, eo minus incurrere in Barbeyraci reprehensionem debuit, quo magis constat ex eodem Gregorio, fortissimum virum aedem illam quidem funditus evertisse, sed evertisse tamen

(*a*) De Benef. lib. 4. cap. 10. (*b*) Loc. cit.
(*c*) De Plantat. Noe. (*d*) Declamat. 245.

men (quod sane negligendum non fuerat) *pro ea potestate, quae tunc Christianis concessa erat* (*a*), & ipsos simulacrorum cultores, divinam Marci constantiam, patientiamque admiratos, *ex ejus ore Christianam religionem postea didicisse* (*b*).

LXXXV. Sed & ex superioribus sequitur, plurimum similiter laudis Ambrosio deberi, qui eloquentissima epistola a restituenda ara Victoriae, & a suppeditandis in sacrificia sumptibus Valentinianum Imperatorem deterruit (*c*): quo facto usus Ceillierius fuerat, ut Abdae caussam, & Theodoretum defenderet. Quoniam vero nihil contra attulit, nec vero afferre Barbeyracus potuit, non est, cur longiorem ista de re disputationem suscipiam. Illud satis mirari nequeo, qui ausus sit praeteriens scribere, Ceillierium ipsum, Censorem suum narratione ejus facti cumulare per imprudentiam argumenta corruptarum opinionum de moribus, quas veteres Patres imbiberant (*d*). Sic enim declarat, totius se rei, quam vituperat, ignarum insigniter esse, atque imperitum. Nosse enim oportuit, Victoriae aram a Constante, & Constantio Imperatoribus eversam fuisse, restitutam vero a Juliano, iterum a Graccho, Gratiani lege, & auctoritate fulto, aequatam solo (*e*). Compertum est autem, Imperatores, & Reges, quibus tantopere Heterodoxi ob inveteratum in Romanum Pontificem odium assentantur, posse justas ob caussas de civitatum, & civium rebus, ac facultatibus arbitratu suo statuere. Quod igitur scelus concepit Ambrosius, qui Valentinianum dissuasit, ne eversam legitime aram instauraret, neve impensas in sacrificia faceret? qui violavit nature legem, quae est de resarciendis aliorum damnis? Biennio ante Symmachus, qui postea urbanam praefecturam gessit, & alii Senatores Romani omni ope annisi fuerant, ut Gratianus aram Victoriae juberet restitui. Sed postulata Imperator rejecit, probe intelligens, & rem iniquam a se peti, & ei petitioni, ut testatur Ambrosius, Christianos Senatores longe plures, eosdemque gravissimos, repugnare, *questos* propterea *publice*, *privatimque*, *se non conven-*

 ven-

(*a*) Invectiva 1. contra Julian.
(*b*) Theod. lib. 3. cap. 7. Vid. & Sozom. lib 5. cap. 10.
(*c*) Epist. 17. edit. Maur. (*d*) Ibid. §. 8.
(*e*) Ex Ambrosio, Symmacho, Prudent. & aliis passim.

venturos in Curiam, *si tale aliquid decerneretur* (*a*). Nec hortari Ambrosius, atque obsecrare Valentinianum potuit, ne impiam aram reficeret? Ad haec multis, firmisque rationibus referta est epistola Ambrosii, Valentinianum ab eo facinore deterrentis. Symmachus tunc Urbis Praefectus, ut Valentiniani animum flecteret, *Relationem* ad illum perscripserat, magna sane elaboratam industria, in qua nescias, ingenii ne plus, an artificii elucceret. Eam per partes refutavit Ambrosius (*b*), & argumenta omnia a disertissimo viro allata ita dissolvit, ut non modo Valentinianus postulata non fecerit, sed *contra nihil unquam auderet Symmachus*, *vir eloquentissimus*, *respondere*, ut litteris prodidit in Ambrosii vita Paulinus. Neque tamen Symmachus ipse ignorabat, naturae legem praecipere, ut si qui vitio nostro damnum fecerint, totum id sarciamus. Longius sane vagaretur oratio, si mihi per tempus liceret complecti omnia, quae ponunt ante oculos, Ambrosii conatus satis pro merito laudari non posse. Sed nihil necesse est. Plane enim ad veritatem liquet, imprudentissime Barbeyracum scripsisse, ex hoc Ambrosii facto, quod produxerat Ceillierius, aperte rursus constare, veteres Patres & male meritos esse de morum scientia, & religionis utilitatibus ardore animi coeco prorsus, & temerario studuisse (1).

LXXXVI. Jam apud Callinicum, Mesopotamiae castellum, Monachi nonnulli, suasore, & approbatore Episcopo, Judaeorum Synagogam, & Valentinianorum Haereticorum Templum incenderant. Audacter enim insultaverant illi prius in Monachos, supplicationem publicam caste obeuntes. (En pervetus publicarum, quas nunc Heterodoxi irrident, supplicationum exemplum.) Totius rei certior factus Theodosius

(*a*) S. Ambros. cit. epist. 17. (*b*) Epist. 18. ed. Maur.

(1) Ambrosii ea in re studium, pietatem, ac fortitudinem Samuel ipse Basnagius, doctus sane, & eruditus inter suos Theologus, idemque a Romana Ecclesia alienissimus, approbavit, neque approbavit solum, sed summatim rationes illius collegit, quibus Valentiniano auctor fuerat, *ne quod a Gratiano recte constitutum erat*, *convelleret*. Quibus rebus percommode hoc subjicit, quod praetermittere parum prudens non debeo. *Non sine Numine quidem contigit illo ipso anno*, *quo Vestalium castitatem praeconio suo commendabat Symmachus*, *ac ereptis stipendiis mala urbis assignabat*, *quod Primogenia apud Albam Vestalium Antistes a Maximo corrupta fuerit*, *quod facinus Majorum vindicari supplicio*, *ab urbis Praefecto enixe Symmachus ipse petit*. In Annal. ad an. Dom. 384. num. 5. Sed & Ambrosio favet Caveus in Historia Litteraria.

ſius Imperator, Judaeorum praeſertim importunitate fatigatus, ut ſolet, ac victus, decrevit, ut Epiſcopus Synagogam impendio ſuo inſtauraret, Monachi vero poenas incendii luerent. Magna enim laborabant inopia rei pecuniariae. Ambroſius, his cognitis, fortiſſimi Sacerdotis perſonam ſumpſit, & Aquilejae primum per litteras, tum coram Mediolani in publica ad populum concione Imperatorem allocutus effecit tandem, atque impetravit, ut edictum mutaret. Ampla hinc ſtatim Barbeyraco crevit objurgationis materies. Una enim cum Baelio, amico vetere, acerrime iterum invadit in Ambroſii doctrinam, eiſdem fere uſus rationibus, quibus in Abdam, atque Theodoretum Philippicam ſcripſerat (*a*). Breviſſima eſt tamen, nedum perfacilis, atque perexpedita ad accuſationem reſponſio. Nihil enim erravit, ſed potius quaſi pleniore ore laudari Ambroſius debuit, qui pio Imperatori auctor fuerit, ut legem reſcinderet. Quid quaeris? Callinicienſium Epiſcopus reſtituere Synagogam non poterat, quin & ipſe in impietatis crimen incideret, & magnam eo facto offenſionem, quam ſcandalum dicimus, in bonorum animis excitaret. Eiſdem igitur argumentis a recenti crimine vindicatur Ambroſius, quibus ſupra Theodoreti, & Abdae defenſionem ſuſcepimus (§. LXXIX. -- LXXXIV.). Neque plura neceſſe habeo dicere. Quandoquidem tamen optima cauſſa verſatur in manibus, illud addo, Ambroſium in perlonga ad Imperatorem epiſtola (*b*) multa conſilii ſui, ac ſatis firma argumenta attuliſſe, immo ne hoc quidem diſſimulandum putaſſe, quod cum Julianus poteſtatem Hebraeis inſtaurandi Hieroſolymitani Templi paucis ante annis feciſſet, terrae motus horribiles, ignisque divinitus excitatus inſana Judaeorum conſilia diſturbarunt. Ut autem longum eſſet illa hoc loco argumenta proferre, ſic diluere ſingula Barbeyracus debuit, quo Ambroſium jure poſſet erroris convincere. Vir certe ſanctiſſimus aequiſſimum Imperatorem oratione ſua commovit, ſic, ut cum ex ſuggeſtu deſcendiſſet, ipſe Imperator palam non veritus fuerit dicere: *revera dura praeceperam contra Epiſcopum de Synagoga reparanda*

(*a*) Ibid. §. 8. -- 12. (*b*) Epiſt. 40. edit. Maur.

randa. At hoc ipſum, inquit Barbeyracus, Theodoſii injuſtitiam, inſcientiam, nimiamque in Sacerdotes facilitatem demonſtrat (*a*). Docere id argumentis Barbeyracus debet. Interim ſic habeat, volo, illuſtres viros, qui Imperatorem comitabantur, dixiſſe quidem, ſaltem a Monachis repetendam eſſe poenam, de reſtituenda tamen Synagoga nihil reſpondiſſe (*b*).

LXXXVII. Sed ut liquidius pateat, Barbeyracum, doctum caeteroquin hominem, Andabatarum more pugnare, quippe obcoecatum ſtudio partium, largiamur nunc, Antiſtitem, incendii auctorem, debuiſſe omnino, ſpectata naturae lege, Synagogam impenſis ſuis reficere. Nego, & voce, qua poſſum maxima, pernego, Ambroſium ejus legis reum eſſe. Nam cum viri principes, ſi legitimae, & graves cauſſae poſtulent, poſſint de populi bonis, fortuniſque ſtatuere, cur petere Ambroſius ab Imperatore non potuit, cur non illum orare, atque obſecrare, ut ne juberet, detrimentum illatum Judaeis ab Epiſcopo reſarciri? Praeſertim cum Dei gloria, & religionis ſanctitas, atque utilitas ea in re ageretur? Praeſertim, cum Judaei ſuperioribus annis tot noſtra Templa, ejuſdem Ambroſii teſtimonio, incendiſſent? Praeſertim cum exemplo Conſtantini Imperatores Chriſtiani delubra Deorum everterint, ſtatuas disjecerint, ſimulacra fregerint, aras contriverint? An vero & Imperatores adverſus naturae legem peccarunt, jubentem, ne cui damnum inferamus? An & ipſi compenſare detrimentum debebant? Nemo, niſi amens, hoc ſenſerit. Cur ergo, amabo te, flagitare Ambroſius ſine culpa ab Imperatore non potuit, ne Antiſtes ille Synagogam reficere juberetur? Ut eum, veluti rerum dominus lege ſolveret, quae eſt de reſarciendis damnis? Ut enim Theodoſius ipſe jubere poterat, Synagogam incendi, quin reſtitutionis lege teneretur (quod etiam aperte docet Baſnagius (*c*)), ſic quando ab aliis incenſa jam fuerat, mandare ei licuit, ne auctores incendii detrimentum ſarcirent, maxime ob cauſſas, quas dixi.

LXXXVIII.

(*a*) §. 8. 10. 11. (*b*) Paulin. in vita S. Ambroſ.
(*c*) Ad an. Chr. 388. num. 5.

LXXXVIII. Ita fere se gessit, summa sanctitate vir, Simeon Stylita, qui, ut supra indicavi, Theodosio minori suasor, atque impulsor fuit abrogandi edicti, quo caverat, ut quas Christiani Synagogas Judaeis abstulerant, eas dominis redderent. Video equidem, Barbeyracum clamare, nos, exempla exemplis coagmentantes, arma ipsi sufficere ad convellendam auctoritatem Patrum, quibus fidei, morumque praeceptoribus utimur (a). Sed hisce armis nihil interim ipse profecit; nos contra Barbeyraci doctrina adversus Barbeyracum pugnavimus (§. LXXXII. LXXXIII.). Ait, ex Simeonis facto, hoc unum liquere, homines plures esse, quos temere inter Martyres numeramus. Eum urbanitatis caussa vocat fanaticum Monachum, & addit, Ægyptios, ubi resciverunt, hominem hunc in columna habitare, novo isto vitae genere tantopere offensos fuisse, ut in illum excommunicationis telum intorserint (b), quemadmodum ex Theodoro Lectore cognovimus. Ego Barbeyraci urbanitatem simul, atque eruditionem agnosco. Caeterum fanatici ejus Monachi admirabilem vitae innocentiam, & sanctimoniam suo etiam probant suffragio aliarum partium scriptores, Basnagius (c), & Caveus (d), multoque magis approbavit Deus locupletissimis signis, atque prodigiis, quae Theodoretus, oculatusque testis Evagrius litteris prodiderunt, quaeque ne scriptores quidem isti palam iverunt inficias (e). Theodori vero narrationem suscipio; sed dissimulandum non arbitror, quod eodem loco Theodorus e vestigio subjicit, Ægypti Monachos, cum Simeonis *vitam, ac merita certius cognovissent, communionem ejus amplexos esse* (f). Sed hoc doctor Patrum brevitatis caussa praeteriit. Quo enim diligentius tam benevolo doctoris officio fungeretur, afferendum putavit Patrum Eliberitanorum concilium, *quibus, si quis Idola fregerit, & ibidem fuerit occisus: quoniam in Evangelio non est scriptum, neque invenitur ab Apostolis unquam factum, placuit, in numerum eum non recipi Martyrum* (g). Hoc quo-

(a) Ibid. §. 12. (b) Ibid. & in not.
(c) Ad an. 433. num. 19. & an. 464. num. 6.
(d) In Histor. &c. art. *Simeon Stylit.*
(e) Uterque ibid. (f) H. E. Fragm. lib. 2. num. 41.
(g) Can. 60.

quoque decretum suscipio: non sequitur tamen, quod efficere ille vult, Abdam, Callinicienfem Episcopum, caeteros debuisse Synagogas, vel Deorum Templa reficere, neque oportuisse, ut strenue potius vitam profunderent, quam tanti sceleris labem suo nomini inurerent ad poenam, atque ignominiam sempiternam (1).

LXXXIX. Sed ego quo plura disputo, plura mihi dicenda se offerunt, & continere me nequeo. Itaque in hoc de furtis, & de restitutionis lege exornando argumento longius provecta est oratio mea, quam debuit. Quod nemini mirum videbitur, qui intellexerit, ita Barbeyracum hoc loco se efferre, tam fere juveniliter exultare, argumentaque sua omnia ita proponere, ut plane inextricabilia esse sibi persuadeat, certamque de nobis, de Patribus, de tota Ecclesia pollicetur victoriam. Credite.

> .... *Caput altum in praelia tollit,*
> *Ostenditque humeros latos, alternaque jactat*
> *Brachia protendens, & verberat ictibus auras* [a].

Nolui igitur caussae deesse, ferociamque hominis disputatione mea molliendam putavi; quod utrum consequutus sim, candidi, & aequi lectores incorruptius judicabunt. Atque utinam integrum mihi per tempus esset colligere caetera, quibus tanquam novis, firmissimisque praesidiis, tam salutarem caussam muniri a me posse video! Sed matrimonium ad se nos vocat, de quo pauca attingenda sunt, antequam finem dicendi facio. Agam autem brevissime (2).

XC.

(1) Hoc primum. Alterum est, quod ne decretum quidem ita debet intelligi, ut Barbeyracus constituit, idest vere non esse Martyres, aut nullos in Martyrum numero poni posse, qui simulacra Deorum, & signa perfregerint. Quae ergo, inquies, ejus decreti sententia? illa prorsus, quam ipsi subjiciunt apud Lambertinum Pontificem Maximum [De Beatif. &c. Lib. 3. cap. 17. num. 15.] prudens, severus, doctus Eliberitani Concilii interpres, Mendoza, Aguirrius Cardinalis, Raynaudus, Suarezius, Caesar Baronius, & alii, quorum ego opiniones parum sane video inter se discrepare.

[a] Virg. Æneid. lib. 5.

[2] Impetrare a me tamen nequeo, quin adhuc paulisper orationem meam in septimo Decalogi mandato contineam, & Ambrosii de praeceptis, muneribusve justitiae locum expendam. Sic enim novo, firmissimoque argumento demonstraturum me spero; solo dissentiendi studio motum Barbeyracum fuisse, ut librum adversus Patrum doctrinam de moribus scriberet. Aut totus fallor, aut ille a proposito egreditur. Cicero in primo

primo de Officiis cap. 17. dixerat, *justitiae primum munus esse, ut ne cui quis noceat, nisi lacessitus injuria*. Quod ipsum confirmavit lib. 3. cap. 19. Locum illum tractans Ambrosius ait, eam Ciceronis sententiam pugnare cum Evangelio: vetamur enim referre injuriam, & ulcisci. Offic. lib. 1. cap. 28. Hoc cognito, Barbeyracus statim in scenam, proclamatque Ambrosium illud justitiae munus, seu Ciceronis doctrinam male prorsus falsitatis arguere. Cap. 13. §. 15. Cur? oro. Quia videlicet non loquitur Cicero de vindicta, sed de justa, ac necessaria cujusque defensione; idque animadverterat Pufendorfius [lib. 2. cap. 5. §. 14.]. Loquatur Cicero, ut mavis. Tu vero quid hinc tandem efficies? An hoc, fas esse injurias ulcisci? An, Ambrosium falsa praecepta justitiae tradidisse? Tantum erit consequens, virum sanctum Tullii sententiam assecutum non esse: quod illi cum toto hominum genere commune erit. O Ambrosii scelus! O coenum! Utrum autem verbum noceat apud Ciceronem valeat tantum seipsum defendere, non vero injurias ulcisci, Grammatici viderint. Latinis certe ex Facciolato nocendi verbum significat damnum alicui, vel injuriam inferre, atque hoc modo apud Ciceronem tota illud intellexit antiquitas. Sed aliter interpretatus est Pufendorfius. Rectius dixisses Graevius (not. ad lib. 3. de Offic. cap. 19. in edit. Oliveti.). Nam de Pufendorfio prorsus nego. Hic enim, si legere didici, neque aperte, neque involute id monet, quod falso Barbeyracus pronunciat: temere autem, & ad libidinem Barbeyracus ipse in editione Gallica, exposita de Ciceronis loco interpretatione, & doctrina Lactantii, Pufendorfii contextum vitiavit, adjectis his vocibus: *il n' est pourtant pas difficile de defendre la maxime de Ciceron contre cette rude censure*. Tantum Pufendorfius, allatis Lactantii verbis, admonuit, Christianam patientiam a nobis non postulare, ut omnes promiscue injurias devoremus, & eum, qui se rite defendit, *non hoc directe agere, ut alteri noceat, sed ut se conservet*. Est hoc autem dicere, nocendi verbo justam tantum, ac necessariam sui defensionem designare Tullium voluisse? Belle sane. Sed Pufendorfius id senserit, senserit Dubois, quo etiam Barbeyracus interprete utitur. An hi fuderunt oracula? Ut omittam Lactantium, qui Christianus Cicero habitus semper fuit, M. certe Antonius Muretus aliter statuit, Ciceronemque existimavit de ulciscenda injuria locutum esse. Ad lib. 1. cap 17. de Offic. Nunc autem in interpretando Cicerone, atque in Latinae Linguae scientia multo unus acutior, atque eruditior Muretus fuit, quam Pufendorfius, Graevius, Barbeyracus, Dubois, atque omnes isti ambitiosi homines, qui naturae jus explicarunt. Quae non eo disputo, quasi mea intersit, quocumque tandem modo Ciceronis verba tibi accipere placet [nihil enim de hoc laboro, ut Ambrosii existimationem, & auctoritatem retineam], sed ut omnes intelligant, quam gravibus, magnisque argumentis docere Barbeyracus soleat, Patres rerum omnium mirabiliter ignaros esse, pessime autem de morum scientia meritos.

II. Pergit superiore loco Tullius, & affirmat, justitiae alterum munus poscere, ut vir justus *communibus utatur pro communibus, privatis ut suis*. Quem locum cum attulisset Ambrosius, *ne hoc quidem*, inquit, *secundum naturam. Natura enim omnia omnibus in commune profudit. Sic enim Deus generari jussit omnia, ut pastus omnibus communis esset, & terra foret omnium quaedam communis possessio. Natura igitur jus commune generavit, usurpatio jus fecit privatum*. Ibid. Nihil hic invenio, quod probari non debeat. Deum, atque hominum fidem obtestor. Vult tamen carpere Barbeyracus Ambrosium (Ibid. §. 16. 17.): fetas igitur in ovo quaerit. Non negat Cicero, ait, omnia fuisse inter homines natura communia: Recte. Id tamen sumit Ambrosius. Ubi, amabo te, quo modo? Atqui, nisi prorsus lippiebat, legere Ambrosius debuit, quod statim Cicero addidit, *sunt autem privata nulla natura, sed aut veteri occupatione &c.* Dixit igitur, ne secundum quidem naturam esse, ut vir justus communibus utatur pro communibus, privatis, ut suis &c., ut hinc ostenderet, debere homines *secundum Dei voluntatem, vel naturae copulam* alios aliis opem ferre, & benigne facere *vel studio, vel officio, vel pecunia, vel operibus, vel quolibet modo, ut* inter ipsos *societatis augeatur gratia*. Ambr. ibid. Aliquis ne in hac doctrina, tanquam in herba, anguis latet? At enim doctor ille vester usurpationem vocat, quod suum cujusque est; *usurpatio jus fecit privatum*. Assentior; sed usurpatio idem ibi valet, atque occupatio: itaque id verbi intellexit Pufendorfius, qui eum Ambrosii locum ad usus suos adjunxit. Lib. 4. cap. 4. §. 4. Cognovistis de peccatis Ambrosii adversus justitiam: agite nunc, de matrimonio, ut diximus, videamus.

XC. In Patres Barbeyraci judicio mire convenit illud Horatii,

Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.

Nam qui tam molles non solum, sed perniciosas etiam opiniones, atque pestiferas disseminarunt, ii deinde in matrimonio nescio quid impuritatis, & vitii invenerunt. Quippe illud non pauci veluti minus honestum condemnant, ut Justinus, Irenaeus, Hieronymus, Ambrosius, caeteri. Vere Virgilius:

. . . . *Medium tenuere beati.*

At contra Justinus fallaci abreptus virginitatis praestantia eo processit, ut in Fragmento, de Resurrectione inscripto, matrimonii usum eum, quo nihil magis esse legitimum potest, illegitimum dixerit. Et frustra Grabius, magnus Veterum admirator, se torquet, ut verbi significationem emolliat. Idem enim Justinus bis paullo post id vocabuli iterum adhibet, & in eam quidem sententiam, quam in bonam partem interpretari non possumus. Ita Barbeyracus (*a*), qui mihi commiseratione dignus videtur. Justinus enim, sive quisquis est fragmenti auctor vituperat *illegitimum*, vel *iniquum ex cupiditate matrimonium*, τὴν δὲ ἐπιθυμίας ἄνομον γάμον (*b*). Nescio autem, qui potuerit fieri, ut eam carperet Barbeyracus sententiam Quid enim magis consentaneum illi Pauli praecepto esse potest, ut *omnia nostra in charitate fiant*, &, *sive manducamus, sive bibimus, sive aliud quid facimus, omnia in gloriam Dei faciamus* (*c*)? Sed piget me errores istos non Patrum, sed Barbeyraci refellere, cum uberius multo ante docuerim (§. XXIX. XXX.), extra culpam eos non esse, qui cupiditatis dumtaxat, aut solius voluptatis caussa matrimonio abutuntur. Opportunissime Augustinus: *qui volens aliquid facit, sive amore creaturae, sive Creatoris id facit: ergo aut cupiditate, aut charitate. Non quod non sit amanda Creatura, sed si ad Creatorem refertur ille amor,*

non

(*a*) Cap. 2. §. 7. cum not.
(*b*) Num. 3. edit. Maur.
(*c*) Epist. 1. ad Corinth. cap. 10. ver. 31.

non jam cupiditas, sed charitas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura; tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem (*a*).

XCI. Eandem fere explicationem habet, aut verius ad Barbeyraci detrimentum revertitur praestans ille Irenaei locus, ubi divortium olim Judaeis permissum comparat (*b*) cum Pauli consilio, dicentis conjugibus, *iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*c*). Ubi sanctus vir veluti certum, atque exploratum sumit, conjuges matrimonio operam dantes vitandae incontinentiae, aut voluptatis studio aliquid labis suscipere. Nam ei docere propositum est, non esse mirum, si eam Deus Judaeis veniam dederit, ut divortium facerent, cum & Paulus in nova lege, quae tota nititur charitate, permittat conjugibus, ut ad sedandam libidinem secum consuescant, etsi id non praecipiat. Quae comparatio nullam vim habet, nisi in illo concubitu aliquod inesse vitium Irenaeus existimet. Recte autem Irenaeus sic statuit. Putare enim quispiam posset, concubitum, de quo agitur, *non esse peccatum, nisi addidisset Apostolus: hoc autem dico secundum veniam, non secundum imperium. Quis autem jam esse peccatum neget, cum dari veniam facientibus Apostolica auctoritate fateatur* (*d*)? Culpa quippe illud non vacat, quod ignoscitur. *Concubitus* ergo *necessarius caussa generandi, inculpabilis, & solus ipse nuptialis est. Ille autem, qui ultra istam necessitatem progreditur, jam non rationi, sed libidini obsequitur* (*e*). Male igitur Barbeyracus (*f*) concubitum, quo utuntur conjuges, ne in foediora luxuriae crimina labantur, matrimonii usum vocat omni ex parte legitimum; ac multo imprudentius ansam inde arripuit obtrectandi Irenaei doctrinae, cum ex ea errorem potius suum corrigere debuisset, patrociniumque voluptatis deponere.

(*a*) Lib. 9. de Trinit. cap. 7.
(*b*) Lib. 4. adv. Haeres. cap. 15. num. 2. edit. Maur.
(*c*) Ep. 1. ad Cor. cap. 7. v. 5. & 6.
(*d*) S. Aug. Enchirid. cap. 78.
(*e*) Idem de Bono conjug. cap. 10.
(*f*) Cap. 3. §. 8. cum not.

Culpa *reverſura eſt in caput iſta tuum* (*a*).

XCII. Porro Tertulliani de matrimonio ſententiam is ſolum reprehendere poterit, qui duos illius ad Uxorem libros non legerit, aut qui velit pertinaciter litigare. Tantum enim abeſt, ut in nuptiis partem aliquam turpitudinis, aut foeditatis reperiat, ut potius, cum nondum ad Montanum defecerat, ſcripſerit, *conjunctionem viri*, *ac foeminae benedictam a Domino* (*b*), & uxorem monuerit, ut, ſi poſt obitum ſuum temperare a matrimonio non poſſet, iterum nuberet, modo cum Catholico homine (*c*). Arbitratu ſuo Barbeyracus loquatur; nihil enim impedio; nos certe ipſius clamoribus (*d*) Auguſtini anteponemus judicium, qui cum Tertullianum ſatis attente, cogitateque evolviſſet, de ejus doctrina ſic ſtatuit: *non quia innuptarum bonum honeſtum dixit Apoſtolus*, *ideo putare debemus*, *turpe eſſe vinculum conjugale*; *alioquin etiam primas nuptias condemnabimus*, *quas nec Cataphryges*, *nec diſertiſſimus eorum adſtipulator Tertullianus turpes auſus eſt dicere* (*e*). Sed ego diutius non celabo myſterium. Barbeyracus Tertullianum odio habet, quia in libris ad Uxorem virginitati, ut decuit, primas, matrimonio ſecundas conceſſit (*f*).

XCIII. Neque aliam eſſe cauſſam dixeris, cur etiam erroris Hieronymum (*g*), unaque Ambroſium (*h*) coarguerit. Nam qua opinionis ſtultitia potuerunt hi Patres, atque alii fingere, in matrimonio ſubeſſe aliquid vitii, labis, vel turpitudinis, cum probe noſſent, Marcionem, Encratitas, Manichaeos, matrimonium veluti turpe execrantes, atque ejus ſanctimoniam minuentes, ab Eccleſia proſcriptos fuiſſe? Cum non ignorarent, *ſacramentum hoc magnum eſſe*, *in Chriſto* ſcilicet, *& in Eccleſia* (*i*)? Cum ſcirent *honorabiles nuptias*, *&*

tho-

(*a*) Ovid. lib. 1. de art. amand.
(*b*) Lib. 1. cap. 2. (*c*) Lib. 2. per totum.
(*d*) Cap. 6. §. 30. 31. cum not.
(*e*) De bono viduit. lib. 1.
(*f*) Praeſertim lib. 1. cap. 3. &c.
(*g*) Cap. 4. §. 32. & cap. 15. §. 1. cum not.
(*h*) Cap. 13. §. 1. & 2.
(*i*) Ad Epheſ. cap. 4. ver. 32.

thorum immaculatum? Cum legissent *primam Dei sententiam, crescite, & multiplicamini, & replete terram? Sed ita nuptias recipimus*, pergit Hieronymus (*a*), *ut virginitatem, quae de nuptiis nascitur, praeferamus. Numquid argentum non erit argentum, si aurum argento praetiosius est?* Quamquam vel impudentissimi homines cogentur obmutescere, modo meminerint, crimen hoc, de quo postulatur ab adversario, deprecatum esse ipsum Hieronymum, docteque, ac strenue a se repulisse in Apologia ad Pammachium, unde supra locupletissimum locum produximus (§. X.). Tota haec enim Apologia, quantacumque est, ejusmodi est, ut argumentis redundet, atque sententiis, quibus honestas matrimonii, & sanctitas declaratur. Idipsum Hieronymus facit in epistolis ad Salvinam, & Ageruchiam. Post haec efferat, quibus Barbeyracus vult, laudibus impudentissimam illam Alberici Gentilis vocem, Hieronymum ita alloquentis: *aperui aures, Hieronyme, non tibi obtrecto. Proclames, quantum voles: & primas damnas, & magis secundas. Nam sic disputas contra nuptias: & more Socratico concedis quidem verbo, quas rationibus negas* (*b*): dictum hoc igitur, quo nihil levius, Barbeyracus probet; jactet praeterea, in reliquis ipsius operibus, matrimonium a Hieronymo tantummodo tolerari (*c*); quid aliud hoc erit, quam nolle verum audire, nec quaerere? Quam pertinaciam juxta, atque imprudentiam suam in luce clarissima ponere? Qua de pertinacia accusatorum suorum, atque imprudentia his conquestus est verbis Hieronymus in eisdem ad Pammachium litteris. *Quum toties, & tam crebro lectorem admonuerim, & per singula pene tractuum millia cautus viator incesserim, me ita recipere nuptias, ut eis continentes, viduas, virginesque praeferrem: debuerat prudens, & benignus lector; etiam ea, quae videntur dura, aestimare de caeteris, & non in uno, atque eodem libro, criminari, me diversas sententias protulisse. Quis enim tam hebes, & sic in scribendo rudis est, ut idem laudet, & damnet? Ædificata destruat, & destructa aedificet? Et quum adversarium vicerit, suo novissime mucrone feriatur* (*d*)?

XCIV.

(*a*) Lib. 1. cont. Jovin. num. 3. edit. Vallars.
(*b*) Barbeyr. cap. 4. §. 32. (*c*) Cap. 15. §. 1. (*d*) Num. 12.

XCIV. Sed Hieronymus defensione nostra non eget, multoque minus eget Ambrosius, in cujus doctrina ut venator ille verborum aliquid vitii aucupetur, umbras etiam falsorum criminum consectatur, sollicite conquirens ea, quae nihil attinet refutare. Levitatis est enim de omnibus nugis contendere. Gravius autem Ambrosii erratum illud est, quod dixerit, habere uxores, & viros, de quo inter se erubescant. Sed principio non Ambrosius id affirmavit; verum apud Ambrosium Juliana vidua, longa filias oratione allocuta: tum vero quisquis dixit, prudentissime sane dixit, quemadmodum & totus locus, & ipsae loci particulae luculenter declarant. Particulae loci quidem, cum ibi Juliana doceat, bona esse conjugia, atque adeo natura sua omni carere dedecore: totus vero locus, ab adversario quasi detruncatus, cum Juliana locuta sit de libidine, seu concupiscendi vi, qua conjugum membra excitantur, de qua certe erubescere illi debent, instar Adami, & uxoris Evae, qui cum antea nudi essent, nec verecundarentur tamen, nuditatem postea suam, contracta culpa, agnoverunt, coeperuntque erubescere, ut narrat Moses. En igitur orationem religiosae ejus mulieris: *exhibete illum Adam, qui fuit ante peccatum, illam Evam, quae fuit, antequam lubricum serpentis hauriret venenum ... quando non habebant, quo confunderentur. Nam utique nunc licet bona sint conjugia, tamen habent, quod inter se ipsi conjuges erubescant. Tales ergo estote filii, quales Adam, & Eva in Paradiso fuerunt* (*a*). Quid vitiosum hoc loco? Quid pugnans cum morum legibus? An erubescere non debemus libidinosos motus, rationi non obedientes, rejicientesque voluntatis imperium? Nihil in illis inest, cujus jure nos pudeat? Licebit conjugibus, nulla habita loci, personarum, verecundiae ratione corpus miscere, unaque concumbere? Vah! Hi demum novi doctores sunt, qui se legis naturae, idest decori, honestatis, & officii interpretes profitentur.

XCV. Minus absurde, etsi inutiliter Barbeyracus fecit, cum ad minuendam auctoritatem Patrum argumentum arripuit ex posterioribus nuptiis. Eas quippe visi persaepe illi sunt, tan-

(*a*) Exhortat. ad virginit. cap. 5.

tanquam criminosas, rejicere. Quod Barbeyracus & singulis fere libri sui capitibus, & capite in primis quarto dedita opera conatur ostendere, totis scilicet quatuordecim paginis (*a*). Ab Athenagora orditur, Patresque insectatus complures recitat etiam Conciliorum loca, poenitentiam iis imponentium, qui priore matrimonio contenti non essent. Sic autem sibi plaudit, ita se amat, ut triumphasse videatur. Sed tempus trivit, bonasque horas inutiliter collocavit. Si quis est enim toto opere locus, qui doctum virum commovere non debeat, hic certe est, in quo licet ex aliorum scriptis paginas multas impleverit, impotenti animo tamen Barbeyracus exultat. Crambem enim sexcenties recoctam ad mensam apponit, in qua rejicienda, profligandaque a multis jam saeculis nobilitata est innumerabilium prope Theologorum industria. Nihil dicam de Thoma Aquinate, Theologorum longe principe, nihil de Estio, nihil de Juvenino, nihil de Natali Alexandro, nihil de Vanespenio, nihil de Theologis singulis, Pontificiique juris doctoribus, qui de matrimonio scripserunt, planumque multis testibus, & argumentis fecere, non secundas solum, sed alias etiam nuptias toti Ecclesiae, & Patribus ab omni antiquitatis memoria probatas esse. Quorum disputationi plurimum sane roboris, & firmamenti accedit ex testimonio Hermae, scriptoris multo omnium antiquissimi, qui cum interrogasset, num forte delinqueret, qui post obitum conjugis alias init nuptias, *qui nubit, inquit, non peccat, sed si per se manserit, magnum sibi conquirit honorem apud Dominum* (*b*). Tot ergo, ac talibus praetermissis Theologis, duos dumtaxat quam brevissime commemorabo, auctorem de re Sacramentaria (*c*), & nobile fratrum par, Ballerinios, qui Zenonis opera ediderunt (*d*). Hi enim eam tractantes controversiam, an posteriores nuptiae, naturae, honestati, vel divinae legi repugnent, plurima antiquorum testimonia collegerunt, quae videntur ejusmodi nuptiis adversari, eaque diligentissime perpurgarunt, sic sane, ut nihil apud Barbeyracum reperiam, quod non illi sigillatim, nervoseque repulerint. Immo tantum abest, ut Balleriniis testimo-

(*a*) §. 6.–37. (*b*) Pastor. lib. 2. mandat. 4. num. 4.
(*c*) Lib. 9. Quaest. 3. toto cap. 2.
(*d*) In Proleg. Dissertat. 2. cap. 7.

ſtimonia id genus faceſſant moleſtiam, ut ſponte ſua Zenonis locum eum, Barbeyraco ignotum, protulerint, quo Antiſtes ſanctiſſimus iteratas ter, ac ſaepius nuptias *crimina vere exſecranda* appellavit (*a*), quique idcirco multo his nuptiis eſſe inimicior, atque infeſtior videatur.

XCVI. Ignota eſt autem nemini horum Theologorum reſponſio: quippe eadem, qua ſuperiores illi utebantur. Docent enim, atque demonſtrant, Veteres, dum in poſteriores nuptias declamant, non ipſas per ſe nuptias, tanquam turpes, minuſque legitimas natura ſua, rejicere, ſed vituperare dumtaxat, atque inſectari libidinem, qua plerumque nuptiarum multarum homines incitantur. Libido haec autem, etſi quamdiu reſtinguitur nuptiis, vere adulterium dici, aut fornicatio nequeat, propter nimium tamen voluptatis ardorem ſimile quidpiam prae ſe gerit, cum ut ad nuptias, ita ad adulterandum impellere ſoleat. Propterea Adulterium Athenagoras, ſed *decorum*, fornicationem Baſilius, ſed *caſtigatam*, fornicationem rurſus Auctor operis imperfecti, ſed *honeſtam* poſteriores illas nuptias nominavit, eamque ſinguli verborum formulam cautiſſime adhibuerunt, ut non idcirco nuptiae ſaepius iteratae ab ipſis damnari, aut argui criminis viderentur. Qui enim ſi turpes, ſi criminoſas putaſſent, decoras, caſtigatas, & honeſtas vocare potuiſſent! Quia videlicet, ait Barbeyracus (*b*), eas civile jus ratas habebat, atque approbabat; non poterant autem Patres reſiſtere, & repugnare adverſus leges, repugnaturi alioquin aperte, & palam, ſi integrum ipſis fuiſſet, ac liberum. Nullas igitur ſecundas, atque alias nuptias non declararunt, docuerunt tamen turpes eſſe, naturaeque legi, & divinae contrarias. Ubi Barbeyracus ex ſuo, & ſuorum ingenio Veteres aeſtimat. Quaſi nimirum eſſent tam anguſti animi, tamque parvi, ut neque ipſi, neque Eccleſia adverſus leges reclamaſſet, ſi quid turpitudinis inſidere in multis nuptiis cenſuiſſent, cum hae praeſertim, velint, nolint adverſarii, in ſacramentorum numero reponantur, & quarto ſaeculo Chriſtiani Imperatores regnarent. Nihil dico de uſuris, quas

(*a*) Ex lib. 1. tract. 5. num. 6.
(*b*) Ibid. §. 25. &c.

quas constantissime Nicaeni Antistites proscripserunt, divinaque lege vetari cunctis suffragiis confirmarunt (*a*). At certe si qua peccati labe pollutas, si foedas suapte natura, & vitiosas iteratas saepe nuptias existimassent Patres, conjuges ita conjunctos a mutuo amplexu separassent, adituque Ecclesiae prohibuissent veluti homines, qui in peccatis perpetuo viverent.

XCVII. Argumenta haec sunt luculenta, & illustria, adulterii, & fornicationis vocibus usos Veteres esse non in eam sententiam, quae hodie illis subjicitur, quaeque verum crimen, & delictum significat, sed usos esse notione, & vi apud ipsos propria, & usitata, qua videlicet matrimonium designatur, ad quod munus honesta caussa, idest libido, voluptatisque cupiditas incitaret, quodque non multum eam ob rem probaretur. Ita, amator uxoris ardentior, vir adulter Aristoteli dicitur, similiterque adulteria appellatas fuisse novimus & primas nuptias, quas vir cum muliere inferiore, atque humiliore, quamvis ex legum praescripto, inivisset: inde etiam concubinae privatae ejusmodi mulieres vocabantur, ut passim docent Jurisconsulti (*b*). Antequam de Veterum testimoniis judicemus, diligenter oportet verba perpendere, nec eis illa subjicienda sententia, quae nunc subjecta est; sed studiose videndum, quae olim potestas, quae vis vocabulorum fuit, & quo praeterea consilio eisdem Veteres utebantur: alioquin in multos rapiemur errores, & iniqui rerum aestimatores turpem scriptoribus imponemus calumniam. Id ego nuper declaravi Clerici, Laicique vocabulis (*c*), &, si eruditionis gloriam aucuparer, declarare facile possem tum aliis exemplis permultis, tum potissimum voce *dolus*. Ut enim est apud Ulpianum, *veteres dolum etiam bonum dicebant, & pro solertia hoc nomen accipiebant: maxime si adversus hostem, latronemve quis machinetur* (*d*). Neque id percrebuerat apud Romanos dumtaxat, sed etiam apud Graecos, quibus, teste Eustachio, alius δόλος κακὸς, alius δόλος ἀγαθὸς dicebatur (*e*).

S XCVIII.

(*a*) Can. 17. (*b*) Ad tit. de Concubinis, qui est 1. Lib. 25. Digest.
(*c*) Quaest. Canonico Mor. de Viro Laico cum Haereticis disput.
(*d*) L. 1. D. *de Dolo malo*. (*e*) In lib. 4. Iliad.

XCVIII. De reliquo, ſi ſtudium adhibeas, & diligentiam, reperies, plerosque Veterum multo acerbius in nuptias, ter, quater, eoque amplius iteratas, quam in ſecundas invectos eſſe. Itaque illas Eccleſiae inquinamenta Baſilius, iniquitatem Gregorius Nazianzenus, crimina vere execranda Zeno Veronenſis appellare non dubitat. Cur vero? An quia matrimonia ejuſmodi foeditate aliqua, aut turpitudine polluuntur? Minime omnium. Sed ea res commovebat Patres, quod ut plurimum effraenatiori concitantur libidine, qui duplicato non contenti conjugio, tertium etiam, vel quartum ineunt, quam qui in ſecundis nuptiis acquieſcunt. Qua de cauſa paullo gravior poenitentia decernebatur in eos, qui ad tertias, atque alias nuptias convolaſſent, aliquanto lenior in bimaritos. Neque tamen diſciplina haec poenitentiae conſtituta idcirco, atque uſurpata eſt, quod multiplices nuptiae minus honeſtae per ſe, minuſve legitimae cenſerentur, ſed ut fraenum injiceretur incontinentiae, & libidini, qua plerumque nuptiarum multarum homines exardeſcunt. Cujus rei teſtes locupletiſſimos do Laodiceni Concilii Antiſtites, qui ſecundas nuptias legitimas eſſe pronunciant, Eccleſiaeque inſtitutis conſentaneas, in eas tamen animadvertunt hac lege. *De his, qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam* κατὰ τὸν ἐκκλησιαςικὸν κάνονα (eſt autem hic κάνων Naeocaeſarienſis Concilii tertius, quo nihilominus Barbeyracum miſerabiliter abuti non puduit), *de his, qui ſecundum Eccleſiaſticam regulam libere, ac legitime ſecundis nuptiis juncti ſunt, nec occulte nuptiarum copulam fecerunt, oportet, ut, parvo tempore tranſacto, vacent orationibus, & jejuniis, quibus etiam juxta indulgentiam, communionem reddi decrevimus* (a). Similiter ſi quis legat Hieronymum, in epiſtola ad Salvinam de ſecundis nuptiis differentem, quas *digamiae praecepta non bona, & juſtificationes peſſimas* in extrema parte appellavit, facile adducetur, ut credat, eas nuptias in veris criminibus virum ſanctiſſimum numeraſſe. Sed qui attente conſideraverit, Hieronymum id totis viribus agere, id cumprimis ubique fere ſpectare, ut faces Chriſtianis hominibus ad excolendam virginitatem ſubjiciat, ut virginitatem matrimonio praeferat, ut

(a) Can. 1.

ut viduas ab ineundo iterum matrimonio avocet, atque deterreat; ad haec, qui ſexcenta alia ejuſdem loca perpenderit, qui intellexerit, Tertulliani de Monogamia librum, quo ſecundae damnantur nuptiae, haereticum ab Hieronymo vocatum eſſe (*a*), is aliter feret ſententiam, nec facere poterit, quin ſibi perſuadeat, tantum ſcriptorem, ubi in nuptias ſecundas, & tertias minus aequum, & facilem ſe videtur oſtendere, non alia moveri cauſſa, niſi quod iteratae nuptiae, quarum alioquin honeſtatem plurimis locis agnoſcit, & praedicat, magnum ſaepenumero praebeant intemperantis cujuſdam libidinis argumentum. Sed animo opus eſt ſoluto, ac libero, qui ex veritate unamquamque rem aeſtimet, quem coecus furor, ac ſtudia partium non praecipitem ferri ſinant (1).

(*a*) In cap. 1. epiſt. ad Titum.

(1) Ac re quidem vera nullum Patres in multiplicato conjugio neque crimen, neque vitium agnoviſſe, ſed tantum averſatos appetitum veneris, & mulieroſitatem fuiſſe, ſive, ut appellant Graeci, φιλογυνίαν, quae ſaepenumero in hominibus dominatur, argumento eſt etiam multo omnium graviſſimo, & maxime Joannes Chryſoſtomus, cujus locum, longiorem iſtum quidem, ſed locupletiſſimum tamen, tenere me nequeo, quin hic deſcribam, cum praeſertim, utrum alii Theologi in medium attulerint, ſatis conſtituere nequeam. Haec igitur ſententia Chryſoſtomi, & diſputatio in opuſculo *de non iterando conjugio* num. 2. edit. Montfauconii. *Accedit, eam, quae facile fert viduitatem, a viro quoque, dum vivit, facile ſe continere, eam vero, quae rem maxime moleſtam putat, ita animum inſtituiſſe, ut non cum duobus ſolum, tribuſve, ſed etiam multo pluribus, ſi ita ſors ferat, ſibi res habenda ſit, ut vix extrema aetate abſtineat. Quemadmodum igitur matrimonium illud magnae honeſtatis, ac temperantiae ſpecimen eſt: ita hoc minime quidem dixerim laſciviae, abſit, ſed certe animi infirmioris, & qui carni deditus ſit, terraeque affixus, nec magnum, atque excelſum quidpiam animo concipere unquam poſſit. Quod ſi quis objiciat, quod honeſtum eſt, tale eſſe, ſive ſemel obeatur, ſive bis, ſive ſaepius: ſimiliter enim honeſtum manere; quin etiam eum, qui ſaepius functus eſt, laudabiliorem eſſe eo, qui rarius: reſpondebimus hujuſmodi ſophiſma incautioribus fortaſſe poſſe imponere, ab iis autem, qui animum advertere voluerint, facile refelli poſſe. Matrimonium enim non corporum commixtio facit; ita enim & fornicatio matrimonium eſſet, ſed quod ea, quae nupta eſt, uno viro contenta eſt. Atque hoc inter meretricem, atque ingenuam, pudicamque mulierem intereſt. Quod ſi uno viro contenta perpetuo ſit, conjunctionem iſtam matrimonii nomine vere appellaris. Sin pro uno multos ſponſos in domum inducat, non equidem fornicationem audeo dicere, ſed illud contenderem hanc illa, quae unum dumtaxat virum novit, longe inferiorem eſſe.* Cujus rei Chryſoſtomus rationem e veſtigio repetit ex Chriſti verbis, *propter hoc dimittet homo patrem, & matrem ſuam, & adhaerebit uxori ſuae, & erunt duo in carnem unam*: tum num. 5. ſuperiorem illam rurſus inculcat his verbis. *Nam & remiſſum, atque ad libidinem proclivem eſſe, ac ne jejunii quidem tempore, aut quovis alio ab uxore abſtinere, longe quidem, & multum a ſupplicio abeſt, non tamen laudi proximum eſt: nam haec ipſa indulgentia nihil aliud eſt, quam ſignum magnae cujuſdam infirmitatis, ac ſocordiae.* Hic locus Chryſoſtomi, qui perſpicuitatem eam habet, ut oratione mea non egeat.

XCIX. Quamquam & alia caussa est, cur Patribus multiplicium nuptiarum homines displicerent. Auctore enim, gravi oppido, & nobili, Thoma Aquinate, non solum Veteres spectabant *caussam, quae aliquando solet ad secundas nuptias incitare scilicet concupiscentiam*, sed multiplex matrimonium paullo aegrius, molestiusque ferebant, *non quia sit illicitum, sed quia caret illo honore significationis, qui est in primis nuptiis, ut sit una unius, sicut est in Christo, & in Ecclesia* (*a*). Iteratae siquidem nuptiae minus apte, & commode perpetuam, nec dissolubilem divini Filii cum Ecclesia sua conjunctionem designant; minus belle sacrum istud, arcanumque conjugium referunt: quam rationem irrisam quidem ab adversario, ut fit, non enervatam tamen, inculcant saepe, & urgent Patres, praeterque hos cap. *debitum* Innocentius Pontifex; ut nostros homines a multiplicatis nuptiis dehortentur. Eadem caussa est, cur bimaritos sacris initiari vetet Ecclesia, eadem, cur salutaris secundis nuptiis benedictio subtrahatur, eadem, cur mulieres, quae iterum injissent matrimonium, corona non donarentur, eadem, cur Patres Neocaesariensis concilii vetuerint, Sacerdotes interesse conviviis, quae in conjugiis ejusmodi celebrantur: quod interdictum scite in decretum suum retulit Gratianus (*b*). Nam *homines divinis dediti non solum ab illicitis, sed etiam ab illis, quae habent aliquam turpitudinis speciem arcentur; & ideo etiam arcentur a secundis nuptiis, quae carent honestate, quae erat in primis*, ut ibidem Thomas noster docuerat (*c*).

C. Sed haec, etsi plurimum roboris habeant, atque nervorum ad repellendam cantilenam illam veterem, quam Barbeyracus canit, ac patientissimae quoque aures fastidiunt (1), vetera tamen & ipsa sunt, & ex vulgari Theologorum sententia pertractata. Audeamus, juvante Deo, novum aliquid, & illustrius, finemque disputationi huic, qui ad argumenti prae-

(*a*) In 4. sentent. 42. quaest. 3. art. 1. ad 1. & 2.
(*b*) Can. *de his* caus. 31. quaest. 1. (*c*) Ad. 3.
(1) Nam de Heterodoxis permulti idipsum, quod noster, jamdudum exprobraverant Patribus apud Albertum Fabricium *Bibliogr. antiq.* pag. 603. Taceo alios. Videatur Joachimus Hildebrandus in libro *de nuptiis veterum Christianorum*, qui Helmstadii in lucem exiit anno 1661.

praeſtantiam accedat, nobiliorem, ſi quidem poſſumus, ſplendidiorem, atque plauſibilem imponamus. Ballerinios ſequemur duces, qui opportunum nobis aditum, ignotum, quod ſciam, caeteris, ad vindicandos, atque illuſtrandos Patres aperient (*a*). Zeno in prioris libri ſermone eo, qui inſcribitur *de Continentia*, quamvis Veronenſibus ſuis ſecundas concedat nuptias, praeſertim initas cum Chriſtianis hominibus, adverſus illos tamen vehementer diſſerit, qui matrimonium ſaepius renovant, ac praecipue ſtilum acuit adverſus anus decrepitas, quae, etſi propius a ſepulchro abeſſent, de ineundis iterum nuptiis cogitabant. *Sed ſic ego in rebus demoror prope ſanis*, exclamat noſter, *quaſi quae vere exſecranda ſint, jam correcta ſint crimina. Pudet me dicere in populo gravi, anus ſaepe videri novas nuptas, quarum pene plures ſint nuptiae, quam natales: quae non rogantur, ut nubant, ſed ut dormiant, invitantur propiores ſepulcbro, quam thalamo.... Quis has diligat Filius? Quis maritus? Confundentes ſanguinis jura, delentes merita maritorum, adulantes vivis, mortuis ſuſpirantes, nunc odientes veteres, nunc novos filios ſimiliter & maritos?* His Zeno alia perpauca addit, tum rei indignitate commotus, ex improviſo multa animo agitans cum Gentilium foeminis noſtras confert, ut pudore ſuffuſae ex illarum ſaltem inſtitutis, & moribus tam effraenem diſcant appetitum veneris coercere, unaque Eccleſiae famae, & rationibus conſulant. In haec igitur erumpit verba. *Quid agam, quo me vertam, neſcio: non enim video, quid in exbortationibus divini, ac veri cultus Gentibus praedicem. Felicitatem ne virginitatis? At babent ſuas virgines: & ſi non felices, babent tamen. Sin vero ad viduitatis ſudorem glorioſum, palmamque provocavero, nobis fortaſſis inſultent, quia noſtrae ſacrae virgines, viduaeque magno pro immortalitatis proemio, ſuae autem gratis laborant. Verum boc eſt ſolum, nos in quo vincimus, quia pro ſua ſanctitate Chriſtianae plus nubunt* (*b*). Hic autem Zenonis locus cauſſam ſatis aperte deſignare nobis videtur, cur antiquiores Patres tanto adverſus multiplices nuptias ſtudio declamaverint, & cur aliquod rei, quae ad

(*a*) Proleg. Zenon. Diſs. 2. cap. 7.
(*b*) Num. 6. edit. Baller.

ad religionis redundabat infamiam, allaturi remedium leges illas, canonesque condiderint, quos paullo ante explicavimus (§. XCVIII. XCIX.); usque adeo ut Ecclesiastica etiam stipe, qua solitudo, & inopia recreabatur, privatas esse mulieres jusserint, non uno contentas matrimonio, quemadmodum ex Hieronymo accepimus.

CI. Viduitatis laudem apud profanos populos maxime viguisse, & multa docent testimonia, ex illorum scriptoribus repetita, & aurea nominatim Joannis Chrysostomi oratio, qui Viduam Juniorem consolaturus non omni solum rationum copia usus est, sed gravissimam quoque praeceptoris sui sententiam attulit, sic exorsus. *Non ignominiae, sed admirationis, atque honoris plena res ipsa apud homines est, non modo fideles, verum etiam infideles ipsos. Nam & ego aliquando cum essem junior, doctori meo . . . . animadverti, matrem meam in multis magnam excitasse admirationem. Nam cum eos, qui sibi assidebant, more suo interrogasset, quis, ac cujus ego essem, ac responsum esset me viduae mulieris esse filium, de me quaesivit aetatem matris, & viduitatis tempus. Cum primum vero audivit, quadraginta annos natam esse, vigesimum vero jam annum agi, ex quo patrem meum amiserit; obstupuit plane, atque ad eos, qui aderant, conversus clara voce exclamavit: Papae! quales mulieres apud Christianos sunt. Tanta non modo apud nos, sed etiam apud Gentiles viduitatis laus est, & admiratio* (a). Ac vere id quidem vir maximus. Nam apud exteras nationes tam sancte colebatur fides, primo marito obligata, viduitasque eo erat in pretio, ut post illius mortem alteri nubere, religioni quodammodo haberent mulieres.

CII. Sane quidem Valeria Augusta, antiquis moribus foemina, recente adhuc viri interitu, a Maximo Imperatore ad nuptias invitata, non solum excusatione illa legum, ac temporis usa est, quod nondum virum, quem unice dilexerat, eluxisset, sed libere etiam respondit, se *sine more, sine exemplo* ad secundas nuptias evocari. Ut enim scripsit, auctor latinitatis, & eruditionis scientissimus, Bonada noster, fuit olim propria haec Augustarum laus, quod secundarum nuptiarum exemplum

(a) Ad Vid. Jun. tract. 1. num. 2. edit. Montfauc.

plum inter eas invenire vix possis, si a Lucilla discesseris (a). Penelope etiam, a multis licet cupidissime expetita, secundis tamen nuptiis fortiter restitit, cum, ut ipsa de se loquitur apud Homerum (b), & datam marito fidem, & reprehensiones populi vereretur. Eamque ob caussam Dido apud Virgilium, Sichaeo suo mortuo, tum Jarbae, tum aliorum postulata rejecit; & quamvis postea amore Æneae deperiret, veteris tamen disciplinae haud immemor, de Sichaeo dixit,

Ille meos, primus, qui me sibi junxit, amores
Abstulit, ille habeat secum, servetque sepulchro (c).

Didonis autem consilium, praeter Tertullianum, probavit in epistola ad Salvinam Hieronymus, cujus egregia illa est animadversio: *si sic communi lege naturae damnat omnes gentilis vidua voluptates, quid spectandum est a vidua Christiana, quae pudicitiam suam non solum ei debet, qui defunctus est, sed & ei, cum quo regnatura est?* Nescio igitur, an boni Theologi concedent id, quod Italus Virgilii interpres biennio ante admonuit, *correva follemente fra gli antichi, che fosse quasi una specie di colpa il passare le donne a nuove nozze, ed Anna col suo discorso venne a togliere quell' avanzo di rossore, che ancora tratteneva in parte la sorella Didone* (d). Neque enim opinionis stultitia, sed honestatis, sed pudicitiae, sed fidei studio, quam marito obligaverant, verebantur quodammodo praestantes mulieres aliis se viris adjungere. Itaque earum fidei, pietatique in viros suos non aperte solum favent Tertullianus, Zeno, Hieronymus, Joannesque Chrysostomus, quorum praeclare dicta exposuimus, sed tacite saltem, atque involute magnam laudem impertiunt Patres alii, qui partim ob salutare Pauli consilium, partim veriti, ne occulta magis libidine, quam certis rationibus moverentur, mulieres nostras a novis nuptiis deterrebant. Quare opinionem illam Veterum, sive institutum accusare stultitiae, ecquid est aliud, quam toti Patrum concilio obsistere?

CIII.

(a) De novissimis Connub. affect. Diss. 6. num. 19. Tom. 2.
(b) Odyss. lib. 16. (c) Æneid. lib. 4. ver. 29. 30.
(d) Nota 10. ad ver. 55. ejusd. lib.

CIII. Sed recte, prudentissimeque fecisse exteras foeminas, quae eam sibi legem, honestati apprime consentaneam, indixerint, ut ne iterum nuberent, alia, quae multa suppetunt, profanorum scriptorum loca demonstrant. Tacitus enim in libro de moribus Germanorum, memoriae prodidit, plures apud hos civitates fuisse, *in quibus tantum virgines nuberent: quippe sic unum accipiunt maritum, quomodo unum corpus, unam vitam, nec ulla cogitatio ultra, nec longior cupiditas* (*a*). Sed admirationis plus habet, quod in epistola ad Ageruchiam testatur Hieronymus (*b*), Theutonicas quasdam mulieres, ne secundas inire nuptias cogerentur, mortem sibi voluntariam conscivisse: quod facinus, etsi laudari non debeat, argumento est tamen, quanta olim viduitatis laus esset, & quam religiose a foeminis coleretur fides, quam primo viro obligassent. Hieronymus id, credo, acceperat a Valerio Maximo, cujus testimonio Theutonicorum *conjuges Marium victorem orarunt, ut ab eo virginibus Vestalibus dono mitterentur, affirmantes, aeque se, atque illas virilis concubitus expertes futuras, eaque re non impetrata, laqueis sibi nocte proxima spiritum eripuerunt* (*c*). Auctor quoque Tertullianus est locuples, fuisse, *quae pro viris mori mallent, quam post viros nubere* (*d*). Jam quid Pausanias in Corinthiacis? Memorat, hoc olim apud Graecos *sanctum, & solemne foeminis fuisse, ut priore viro mortuo secundis nuptiis abstinerent* (*e*). Quid Euripides Poeta? Tradit & ipse, Graecos homines solitos esse detestari eos, qui, uxore mortua, alias sibi adjunxissent, chorumque ita loquentem inducit;

Si autem novum elegerit maritus torum,
Sane perquam mihi fuerit exosus (*f*).

Quid iterum Poeta ille in Troadibus?

Ego

(*a*) Cap. 6. (*b*) Epist. 123. num. 8. edit. Veron.
(*c*) Lib. 6. cap. 1. In extern.
(*d*) De Monog. cap. ult.
(*e*) Lib. 2. cap. 21.
(*f*) In Alcest. ver. 464.

Ego abominor eam, quae priorem virum
Cum amiserit, novis connubiis alium amat.

Quid Charondas legumlator probatissimus? Auctore Diodoro Siculo (*a*), si quis novercam induceret liberis, aliam videlicet uxorem duceret, priore mortua, ex qua liberos suscepisset, eum Charondas e civitatis consilio summovebat. *Nunquam enim fore exstimabat, ut is bonum patriae consilium daret, qui liberis ex se natis perperam consuluisset.* Perperam autem, etsi non omnes, complures oppido liberis consulunt, qui in unis nuptiis non acquiescunt. Quid tandem de Graecis Plutarchus, natus, Corsino nostro judice, circiter annum a virginali partu quinquagesimum? *Generosa foemina, quae devinxit se justo viro, ursorum potius, & draconum amplexus sustinebit, quam tractationem, & concubitum alterius viri* (*b*). Loca alia ex Graecis Poetis, atque scriptoribus si quis forte avet cognoscere, reperiet apud explanatores Virgilii.

CIV. Quam ample vero, & magnifice Romani veteres de viduitate existimarent, quidve de foeminis multarum nuptiarum sentirent, non solum ex superioribus Augustarum exemplis (§. CII.) par est intelligi, sed nobilissimum praeterea Valerius Maximus argumentum praebet his verbis: *quae uno contentae matrimonio fuerant, corona pudicitiae honorabantur; existimabant enim, cum praecipue matronae sincera fide incorruptum esse animum, qui post depositae virginitatis cubile in publicum egredi nesciret, multorum matrimoniorum experientiam, quasi legitimae cujusdam intemperantiae signum esse credentes* (*c*). Quo testimonio nihil splendidius, neque uberius adversus Barbeyracum produci potest. Idem vero, quod antiquiores, Romanos suae aetatis sensisse, luculenter significat Publius Syrus & versu illo 284.,

Habent locum maledicti crebrae nuptiae,

& versu 482.

Mulier, quae multis nubit, multis non placet.

T Has

(*a*) Lib. 12. cap. 12. (*b*) In Erotic.
(*c*) Lib. 2. cap. 1. num. 3.

Has nimirum mulieres minus pudicitiae, temperantiaeque ſtudioſas a Romanis fuiſſe habitas, hinc colligere licet, quod ſignum, pudicitiae Romae poſitum in foro boario (§. XXI.) attingere vetarentur, neque fortunae muliebri ſacerdotio fungi poſſent. Hinc Feſtus: *pudicitiae ſignum nefas eſt attingi, niſi ab ea, quae ſemel nupſit*; & Servius, *repellebantur a Sacerdotio, ideſt fortunam muliebrem non coronabant bis nuptae* (*a*). Apertius vero Martialis ejuſmodi foeminis, quae plures nubunt, non intemperantia modo, ſed foediorem adulterii notam inurere non dubitavit his verſibus;

Quae toties nubit, non nubit, adultera lege eſt;
Offendar moecha ſimpliciore minus (*b*).

Nec diſſimiliter Quintilianus conjugium multiplex *nubendi quandam impudicitiam* vocat (*c*). Quibus ex rebus factum arbitror, quod Tertullianus narrat, ut videlicet *matrona Romana, quae etſi per vim nocturnam, nihilominus experta alium virum* fuerat, *maculam carnis* voluerit *ſuo ſanguine abluere, ut monogamiam in ſemetipſam vindicaret* (*d*).

CV. Haec igitur apud Graecos, Romanos, atque alios populos adverſus plures nuptias vigebat opinio, eaque & latiſſime pervagata, & cum honeſtate, officio, fide, memoria, quam ſibi invicem conjuges debent, mirifice conſentanea. Quis ergo, niſi malevolentia in judicando incitetur, vel odio, quis mihi veteres reprehendat Patres, quod ſeveri interdum in illos fuerint, qui nuptias iterabant? Cum enim intelligerent, ex divinae legis praeſcripto virtutem, atque juſtitiam multo ſanctius, & ardentius excolendam eſſe a Chriſtianis hominibus, quam excoleretur a populis, verae religionis expertibus, nimis turpe, & indecorum videbatur, regnare apud nos multiplices nuptias, parum illis probatas, & quas ſaepe libidinis, intemperantiaeque inſequebatur ſuſpicio: propterea quatuor primis Eccleſiae ſaeculis, quibus noſtri cum profanis gentibus

(*a*) Ad ver. 19. lib. 4. Æneid.
(*b*) Lib. 5. Epigr. 6.
(*c*) Declam. 306.
(*d*) De Monog. cap. ult.

bus permixti erant, magno ſtudio Patres ſanctiſſimi laborandum putarunt, ut in illis partim ſcripto, partim voce, partim etiam ſalutaribus quibuſdam poenis vehementiorem, & effraenem plurium nuptiarum appetitum reprimerent. Ex nuptiis enim crebro initis dedecus, atque ignominia redundabat ad Eccleſiam, offenſi ea re Gentiles fuiſſent, anſamque inde arripere poterant, ut minus praeclare de religione noſtra ſentirent, quaſi quae nuptiarum multarum licentiam, intemperantiam, vel etiam, ut illi dicebant, adulteria fovere, atque complecti videretur. At contra ex unis nuptiis, & viduitatis ſplendore laus, & gloria ad Eccleſiam revertebatur, quemadmodum ex Joannis quoque Chryſoſtomi teſtificatione intelleximus (§. CI.): atque ut virginitatis ſtudium (§. XXIII.), ſic & viduitas locuples eſſe poterat *Catholicae gratiae*, ut loquuntur Theologi, indicium, unde rurſus ſanctiſſimae religionis divinitas eluceret. Deſinat igitur aliquando tandem Patrum doctrinae Barbeyracus obſtrepere, tumorem cum ſuis gregalibus deponat, & faſtum. Habet enim, quo Veterum adverſus multiplices nuptias, quas aliunde a Paulo approbatas noverant, ſpectarent querelae, & ſeveritas; habet, in quam ſententiam adulterii, intemperantiae, aliiſque id genus nominibus, quibus profani populi utebantur, aliquando non parcerent. Nempe, ut verbo dicam, nolebant offendi Gentiles, & Eccleſiae gloriae, atque utilitatibus ſerviebant.

CVI. Nunquam igitur venit in mentem Patribus cogitare, ſecundas, atque alias nuptias natura ſua parum honeſtas eſſe, criminoſas, turpes. Quin immo vix Montanus, qui ſe ſtultiſſime Paracletum vocabat, ex Inferis prodiit, ſecundaſque nuptias condemnavit, eum illi confeſtim cum aliis argumentis, tum ipſa novitate doctrinae fortiſſime oppugnarunt. Id aperte a Tertulliano docemur, cujus illuſtrem locum, quoniam praetermiſſum a Theologis video, qui de hac controverſia ſcripſerunt, libentiſſime affero extrema parte. Eſt enim ad perſuadendum, frangendamque Barbeyraci diſputationem aptiſſimus. Ita igitur Tertullianus de Catholicis loquitur ſub initium libri, qui de Monogamia eſt. *Monogamiae diſciplinam in haereſim exprobrant. Nec ulla magis ex cauſſa Paracletum* (Montanum intelligit) *negare coguntur, quam dum exiſtimant*

mant novae disciplinae institutorem, & quidem durissimae illis. Ineunte ergo saeculo tertio, quo circiter tempore librum illum suum Tertullianus composuit, nova plane, & inaudita res erat, eademque Ecclesiae moribus, institutisque contraria, ab aliis nuptiis viduas prohibere. Quam frigeat vero ad hoc argumentum Africani scriptoris responsio, & quam perspicue cum ipsius doctrina pugnet, nihil attinet dicere. Legi in hunc locum animadversiones Jacobi Pamelii poterunt: ego enim sat habeo Barbeyraco ante oculos ponere, antiquissimos Patres nullo in multas nuptias odio exarsisse, neque eas vertisse vitio, aut in criminibus numerasse. Quapropter amandari etiam procul poterit ex Pufendorfii opere calumniosa illa Mascovii vel animadversio, vel admonitio, adhortantis lectorem, ut *de odio Patrum Ecclesiae in secundas nuptias conf. Celeb. Barbeyraci Praefatio* (*a*).

CVII. Sed jam plura dicere vetamur angustiis temporis. Finem igitur in praesentia disputationi imponemus, multo deinceps plura ad refellendum Barbeyraci librum scripto, & litteris mandaturi, atque adeo in manus hominum, juvante Deo, emissuri, ut magnorum Patrum gloriae, Ecclesiaeque temporibus consulamus (1). Neque enim, ut praeclara utar Bernar-

(*a*) Not. 3. ad num. 7. cap. 1. lib. 1. Oper. de J. N. & G.

(1) Ita prorsus hunc ego locum in concione publica recitavi. Postea tamen disputationi tam multa addidi, ut non jam confutationis specimen edere, sed totum fere Barbeyraci librum mihi videar oppugnasse. Deme enim ex libro ejusmodi fidei controversias, deme ea, quae super stilo, historia, factis, eruditione Patrum versantur, deme rursus, quae rationes, ab eisdem in disputando allatas, exagitant; deme, quod caput est, probra, obtrectationes, maledicta, contumelias, quibus homo non omnium moderatissimus sanctissimos viros, & Ceillierium identidem cumulavit; & inter errores, Patribus ab auctore nostro attributis, vix ullum, aut certe paucos reperies, a quibus non ego Patres ipsos vel singulos, vel saltem plures pro virili mea defenderim. Nihilominus si haec, qualiacumque sint, bonis, & doctis hominibus haud ingrata esse intellexero, disputationem istam totam multis alias rebus augebo, fidemque datam libentissime liberabo.

Unum extremo loco Barbeyracus, ejusque similes aliquando tandem intelligant, inepte ipsos, & falso de se gloriari, quasi omnium primi jus naturae, & gentium constituerint, atque explicaverint. Quidquid enim boni attulerunt, totum hoc, si partem aliquam eruditionis excipias, a Patribus nostris, atque Theologis accepere, caetera miserabiliter depravarunt. Fidem facere possunt vel ipsae Grotii *citationes*. Id saltem non Ignatius solum Schwarts ex Societate Jesu, & Anselmus Desingius ex Benedictinorum Familia, & nobiles alii Catholicorum Theologi editis libris nuperrime demonstrarunt, sed ego etiam loco, & tempore (vera narro), ipsa collatione doctrinae, Auditoribus meis, ingeniosis sane, & acutis hominibus, haud semel animadvertendum proposui.

nardi ſententia, *nihil ſe egiſſe putare* debet, *qui haereticum vicit, & convicit, haereſes confutavit, veriſimilia a vero clare, aperteque diſtinxit, prava dogmata, plana, & irrefragabili ratione, prava eſſe monſtravit, pravum denique intellectum, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, in captivitatem redegit. Nempe*, etſi Haereticus veritati nolit cedere, aut ab errore deſiſtere, *cepit nihilominus qui talia operatus eſt, vulpem, etſi non ad ſalutem illi, & cepit eam ſponſo, & ſponſae, quamvis aliter. Nam etſi haereticus non ſurrexit de faece, Eccleſia tamen confirmatur in fide, & quidem de profectibus ſponſae ſponſus ſine dubio gratulatur. Gaudium etenim Domini eſt fortitudo noſtra*, fortitudo juventutis, quae his moribus, atque temporibus opinionum, vitaeque licentia ita prolapſa eſt, ut omni ope coercenda, & refraenanda eſſe videatur. Haec, & appoſitae quidem, Bernardus (*a*) de illis Theologis, qui cum Heterodoxis hominibus diſputationes ſuſcipiunt, quae utilitates quantas afferant ſunt qui vel neſciant, vel etiam invidia ducti neſcire ſe ſimulent.

CVIII. Vos autem, Sardi juvenes, quorum potiſſimum cauſſa diſputatio haec, qualiſcumque ea eſt, ſuſcepta eſt, habetis, quam viam inſiſtere, quibus itineribus ad beatitudinem ingredi, quid vos ſequi conveniat. Videlicet, ſi quid vultis in diſciplina morum proficere (velle autem debetis), ſi curae vobis, cordique eſt, ne in ſententiarum, & opinionum delectu ad ſcopulos offendatis, nihil vobis eſſe debet antiquius, quam ut veteres illos, atque incorruptos fontes, unde omnem ad nos regendae vitae ſcientiam, Chriſtiano homine dignam, manaſſe cognoſtis, attentiſſime conſulatis. Patres igitur ſecundum divinas litteras nobis aſſidue pervolutandi, atque evolvendi, Patres nunquam deponendi de manibus, Patres veluti quaedam Chriſtianae civitatis oracula, officiorumque omnium magiſtri, ſummo ſtudio, ac diligentia audiendi. Nam ſi operam dabimus, ut illorum libri nos alliciant, & oblectent, ut nobis placeant, ut nobiſcum pernoctent, ut nos denique non a Patribus otium, neque vitae licentia, neque novitatis cupiditas, neque partium ſtudium, neque ullius ſermo, conſilium,

au-

(*a*) Super Cant. ſerm. 64. prope fin.

auctoritas abstrahat, magnam sane utilissimarum rerum supellectilem bono maximo, immortalique nostro adipiscemur, rectisque itineribus ad veritatem, quo labores nostri omnes collineant, contendemus. O hanc praeclaram, adolescentes, o hanc regiam, & directam, & apertam viam comparandae morum scientiae! O vos de nobilissima disciplina, de majoribus vestris, de vobis ipsis optime meritos, si in Patrum fidem, ac potestatem totos vos penitus, ac vestra omnia permittatis! Nolite enim errare, ornatissimi juvenes, sed potius sic habetote, non alio ex fonte manasse opinionum commenta, quae adversus morum doctrinam vel Pelagius olim, & Coelestius, vel longo post intervallo Beguardi, & Beguinae, tum Wiclephus, Hus, Calvinus, Lutherus, praeterque hos, Petrus etiam Oxomensis, Bajus, Michael de Molinos, Quesnellius disseminarunt in vulgus; non alio ex fonte errores alios, multitudine propemodum innumerabiles, Theologorum complurium, quos Alexander VII., Innocentius XI., Alexander VIII., Innocentius XII., Benedictus XIV., Clemens XIII. Pontifices Maximi diris omnibus confixerunt, coelestique fulmine profligarunt, quam ex veterum Patrum contemptione, atque despicientia. Patrum contemptio errores protulit, quibus fidei capita oppugnantur, Patrum contemptio errores, quibus disciplina morum concutitur.

CIX. *Quid ergo tendimus*, ut lamentabatur olim Gelasius Pontifex, primus eo nomine, in epistola ad Honorium, Dalmatarum Episcopum, *quid ergo tendimus ultra definita Majorum, aut cur nobis non sufficit, si quid ignorantes discere cupiamus, qualiter ab Orthodoxis Patribus, & senioribus singula quaeque, vel vitanda praecepta sunt, vel aptanda Catholicae veritati; cur non his probantur esse decreta? Numquid aut sapientiores illis sumus, aut poterimus firma stabilitate consistere, si ea, quae ab illis constituta sunt, subruamus*? Haec cum sint, quemadmodum facile, Sardi juvenes, potestis cognoscere, quam absurde nescio quis auctor dixerit, *doctrina fidei a veteribus, doctrina morum magis a junioribus petenda*, sic hercle sine dubio intelligitis, vos nullo unquam tempore ab honestissima Patrum institutione transversum digitum oportere discedere; eo magis, quod eniti debeatis, ut ne vobis turpe sit, quam acce-

pistis

pistis a majoribus gloriam, eam vos posteris tradere, & conservare non posse. Cohortantur vos summi, eidemque integerrimi ex gente vestra Pontifices, Hilarus, & Symmachus, quos una virtus ad amplissimum extulit Sacerdotium, cohortatur majorum vestrorum pietas, & multis rebus spectata adversus Patres, religionisque Antistites reverentia. Hilarus enim sic agebat in epistola ad Galliarum Episcopos: *qua non objurgatione dignissimum est, quod sanctorum Patrum decretis, & ipsis repugnat canonum institutis* (a)? sic autem Symmachus, cum ad Caesarium scriberet: *qui veneranda Patrum statuta custodit, amicum se absolutae religionis ostendit*, & paullo post: *quod vetustas praestitit, & patrum auctoritas roboravit, nova non debet violare praesumptio* (b). Symmacho ipso Pontifice, una cum aliis Episcopis, sexaginta plus, urbem hanc vestram Caralim exilio suo nobilitavit, atque illustravit, singulari vitae sanctimonia, & sapientia vir, Ruspensis Antistes Fulgentius, communeque habere hic voluit cum Illustri, & Januario Episcopis domicilium. Ut vero memoriae prodidit Fulgentii ipsius discipulus, qui gestas ab eo res litterarum monumentis mandavit, *domus illa tunc Caralitanae civitatis oraculum fuit*..... & *delectabat nobiles viros, si fieri posset, quotidie beatum Fulgentium cernere disputantem* (c) de religionis mysteriis, de moribus, de vitae officiis. Disputationes vero suas Fulgentius sacrarum primum litterarum oraculis, tum suavissimis, salutaribusque antiquorum sententiis, tanquam sale, condiebat, sic, ut nihil fieri posset jucundius. Sed eo me imprudens demitterem, unde enatare vix posset oratio, si Luciferum, qui omnium linguis, ac litteris teritur, si magnum illum Eusebium, Vercellensem Pontificem, cujus manu exaratum, longe pretiosissimum Evangeliorum librum viri nuper doctissimi ediderunt, si reliquos de vestro genere eximios, ac praestantes viros, Antistites, Martyres, prope infinitos dinumerare hic vellem, ex quibus facile cognoscere possumus, quanto olim Patrum, veterisque disciplinae studio Majores vestri religiosissimi, & sapientissimi homines, tenerentur.

CX.

(a) Epist. 4. alias 8. apud Sirmond. Tom. 1. Concil. Galliae.
(b) Epist. 5. alias 11. ibid. (c) Cap. 20. Vitae.

CX. Verum ego non Sardorum laudes, neque historiam scribendam suscepi, sed Barbeyracum mihi refellendum proposui. Cujus infinitam in exagitandis Veteribus, atque intolerandam licentiam extremo ut loco coarguam etiam testibus, qui a nobis, Romanique Pontificis obedientia desciverunt, accipite, quaeso, Auditores, juvenesque ornatissimi, quid praeter Guillelmum Caveum (a), quid praeter caeteros, quos saepe in meis opusculis testes adhibui, de morali Patrum doctrina, rerumque ejusmodi scientia statuat Joannes Bear, recentissimus, & idem clarus, atque illustris apud Anglos suos Theologus. Is enim in concione *de primaevorum Patrum auctoritate*, quam publice Oxonii habuit, quaeque viginti ab hinc annis Londinensi Apostolicorum Scriptorum editioni praeposita est, is, inquam, certa ratione, ac via demonstrare ingressus, veteris Ecclesiae Antistites, atque rectores tum sanctissimis moribus, tum exquisita officiorum vitae, totiusque Christianae rei scientia, tum denique maximis illis, nobilissimisque virtutibus, quas Paulus flagitat ab Episcopis, floruisse, & multa alia argumenta producit, ad faciendam fidem aptissima, & incorruptis quoque ejus aetatis testibus, probatissimisque scriptoribus disputationem suam corroborat. Profert igitur Irenaeum (b), profert Tertullianum, profert Cyprianum, profert Origenem (c), qui sapientiae, ingenio, sanctitati eorum, qui praeficiebantur Ecclesiae, nobile dant, & perhonorificum testimonium. Neque his contentus, ut domesticorum testium fidem externis etiam auctoritatibus muniat, Severi Imperatoris judicio utitur, gravissimo, & maximo. Qui cum singularem, ac fere divinam Christianae Ecclesiae cautionem, atque prudentiam in deligendis Episcopis, & Sacerdotibus vehementer miratus esset, non eam modo honore verborum probavit, sed sibi ad imitandum proposuit in creandis magistratibus, quibus fortunas hominum, & capita committebat (d). Haec, atque alia plura cum Anglus ille explicasset, his verbis concionem suam concludit, quibus nihil ad

(a) Vid. ejus Epist. Apologet. Extat ad calcem Tom. 2.
(b) In not. ad num. I. 2. pag. 6.
(c) Num. I. 3. pag. 8.
(d) V. Etiam Laprid. in Alexand. Severo.

ad refraenandos Barbeyraci conatus commodius. Quae cum in medium attulero, finem tandem ſermoni conſtituam. Haec igitur Bearis oratio. *Denique cum ex hactenus dictis manifeſto appareat, Primaevos Patres viros fuiſſe integerrimos, & rei Chriſtianae, diſciplinae Eccleſiaſticae, morumque, & Traditionum Apoſtolicarum ſcientiſſimos; quis non videt, eorum ſcripta nobis debere eſſe commendatiſſima? Si fidem igitur ſemel ſanctis traditam intelligere, defendere, & ab Haereticorum inquinamentis illibatam conſervare; ſi purum illum, & ab Apoſtolis traditum, ſcripturae ſacrae ſenſum, & explicationem aſſequi, nobis curae, cordique ſit...., ſi ſacramentorum Evangelicorum vim, & naturam, Sacerdotalis muneris onus, & dignitatem perſpicere, & merito aeſtimare exoptemus; ſi pietate Chriſtiana penitus imbui, ſi ad generoſum terrenarum rerum contemptum, ſi ad certam futurae vitae exſpectationem erigi, & accendi.... percupiamus, Patrum Primaevorum ſcripta diligenter legenda, egregia ſanctiſſimorum Martyrum, ac Confeſſorum facta ſerio, & ſedulo conſideranda, & antiquiſſima primitivae Eccleſiae acta, & monumenta nobis conſulenda ſunt, & frequentiſſime evolvenda.* Abeat nunc Barbeyracus; nobiſque libentibus, Groningae, Lauſannae, ubique gentium totam ſe Patrum auctoritatem in morum ſcientia labefactaſſe, vociferetur, ac praedicet.

AD DISPUTATIONES
DE ECCLESIASTICA HISTORIA
INTROITUS
Quem sibi publice aperuit,
IN REGIA CARALITANA ACADEMIA
Pridie Kalendas Octobres anno 1766.
LIBERATUS FASSONIUS
EX ORDINE SCHOLARUM PIARUM
Cum primum ad eam disciplinam, atque Dogmaticam Theologiam tradendam admotus esset.

AD DISPUTATIONES
DE
ECCLESIASTICA HISTORIA
INTROITUS.

I. SUperis grates. Emerſi jam e vadis, & quum nihil tale cogitarem, ſcopulos praetervecta eſt induſtria mea. A rebus enim difficillimis, unde graves ſaepenumero offenſiones eſſe ſolent, ad eas res inopinato delapſus ſum, in quibus neque ingenium poteſt, neque Theologia, aut eruditio mea periclitari. Summi videlicet, atque de me immortaliter meriti Regis juſſu, voluntate, approbatione, judicio impoſitum mihi ſuperioribus menſibus munus eſt, ut cum illa Theologiae parte, qua religionis noſtrae capita, & auguſta myſteria continentur, homulus licet de multis unus, & exiguo ingenio praeditus, Eccleſiaſticam ego tamen Hiſtoriam tractandam, atque explicandam ſuſciperem. Dimiſſa igitur bona cum venia ſanctiore morum ſcientia, quam toto biennio ſine ullo ſtudio partium mihi videor tradidiſſe, in hanc publicam lucem, atque in veſtrum conſpectum hodierno die prodeo, viri Sardi, ut quam citiſſime labori manus admoveam, auſpicatoque ad exercitationes de Eccleſiaſtica Hiſtoria meas aggrediar. Eo vero libentius, & alacrius prodeo, quo magis ſpero, tractationem hanc non mihi ſolum ipſi, ſed vobis quoque jucundiſſimam futuram eſſe, atque gratiſſimam, ſive liberam quandam oblectationem animi, homine ingenuo, & Chriſtiano dignam ſpectetis, ſive, quod majus eſt, utilitatis veſtrae ſtudio moveamini.

II.

II. *Historia* enim, ut praeclare a M. Tullio in secundo de Oratore constitutum accepimus, *historia*, inquam, *testis est temporum*, *lux veritatis*, *vita memoriae*, *magistra vitae*, *nuntia vetustatis* (*a*). Quae laudes cum in Ecclesiae, & religionis historiam, quae dignitate, & praestantia caetera historiarum genera multis partibus superat, longe accomodatius, magnificentiusque conveniant, quis, oro, non statim intelligat, tantam in hac facultate oblectationem inesse oportere, ut nihil hominum, aut auribus, aut mentibus jucundius percipi posse, atque suavius videatur? Artes caeterae, quod alia in re pronunciavit gravissime Cicero (*b*), *neque temporum sunt*, *neque aetatum omnium*, *neque locorum*. At studia haec nostra, quae in Ecclesiae, quae in antiquitatis cognitione versantur, *adolescentiam alunt*, *senectutem oblectant*, *secundas res ornant*, *adversis perfugium*, *ac solatium praebent*, *delectant domi*, *non impediunt foris*: quid non impediunt, dico? immo splendorem, dignitatemque conciliant.

III. Quis nostrum, amabo vos, tam animo agresti, ac duro esse possit, qui, probe exploratis, & cognitis summorum virorum, omni laude excellentium, factis illustribus, & gloriosis, magnitudine praestabilibus, novitate praecipuis, genere ipso singularibus, neque illis hominum solum, sed Dei immortalis judicio comprobatis, tales, ac tantos viros non suspiciat, non admiretur, non diligat, neque idem propterea non magnopere, unice, jucundissime oblectetur? Atqui, ut in vulgus etiam notum est, insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas in hominum animis semper solet existere. Itaque nemo unus, nisi truncus, vel stipes fuerit, non voluptate humanissima perfundi potest, qui audiat, quibus rebus, atque praesidiis constituta religio est, quibus artibus, & auctoribus, tam brevi tempore, & in omnes fere terrae angulos propagata, quibus viis, & rationibus, contra licet obnitentibus Inferis, ad hunc, quem cernimus, amplitudinis gradum, & majestatem evecta. Jucundissimum sane, & laetabile Apostolorum consilia, pericula, itinera, conciones, labores,

cae-

(*a*) Cap. 9. edit. Oliv.
(*b*) Pro Archia Poet.

caeterasque res praeclarissime, & sanctissime gestas cognoscere. Jucundissimum videre infinitos ex omni genere hominum Martyres, *stantes ante Reges, & praesides*, & cum illis alacritate mirabili de Christo Deo, de Deo trino, atque uno, de tota Christiana Republica colloquentes; tum coelestis charitatis igne inflammatos cum crudelitate, & ferocia, cum suppliciis exquisitissimis, cum ipsa imbecillitate naturae fortissime dimicantes, & de impietate, de errore, de pertinacia, de inanissimis caeremoniis, atque religionibus triumphantes. Jucundissimum animadvertere atrocissimarum bestiarum subitam, atque insolentem mansuetudinem, satellitum, carnificum, praesidum repentinas mortes, potentissimorum Imperatorum, & Regum trepidationem, ac metum, profanorum Sacerdotum infamiam, Delubrorum ruinas, superstitionis excidium, terrorem nequissimorum Daemonum, atque ignominiam. Jucundissimum adspicere interea Ecclesiam, Divini Filii sanguine irrigatam, tam altas ubique radices agere, ut amplificetur quotidie magis, atque augeatur, & jam inde a primis nostri nominis saeculis *ab ortu solis ad occasum* (quemadmodum longo ante intervallo Malachias futurum praedixerat) *magnum sit Domini nomen in Gentibus, & in omni loco sacrificetur, & offeratur nomini ejus oblatio munda* (a).

IV. Quamquam nescio, an adhuc jucundius, & laetabilius videri debeat privatis illis, vel publicis totius Christiani orbis conciliis interesse. Ut enim, judice vel Basnagio, *coelum* (b) *ornatur stellis*, sic Patrum Conciliis, ubique gentium convocatis, tanquam gemmis distincta clarissimis, Ecclesiae historia decoratur, eaque optimam hujus partem suo quodam jure sibi vindicant. An libenter audiemus interdum homines in nihil agendo occupatissimos, qui in aliquo urbis angulo, vel ad officinam sedentes, vitreis oculorum praesidiis instructi, aduncum prae se nasum ferentes, Catonis persona sumpta, atque adeo ore, & vultu ad gravitatem composito, nunc de scripto recitant, quidquid rerum novarum ex Italia, Gallia, Hispania allatum est, nunc tantisper lectione intermissà, temere

(a) Cap. 1. ver. 11.
(b) Praefat. ad Annal.

ſe profitentur (1), contortis plurimorum interpretationibus, rerum ambagibus, & involucris, multitudine, & varietate eventorum juvenum animos perſaepe terret, alioque abducit: una hiſtoria eſt, eaque in primis Eccleſiaſtica, quae omnium ſtudia alliciat, aures teneat, animos mulceat, cujus non modicam ſupellectilem templa ipſa, ſepulchra, arae, nummi, monumenta, picturae, lapides, & quidquid ſub oculorum adſpectum cadit, ſuppeditat: a qua ſi quis abhorrere ſe dicat, parum abeſt, quin ipſe ſe ne hominem quidem Chriſtianum eſſe fateatur. Sed fuſius, & copioſius de voluptate dicere, qua ſtudioſorum animi ex rerum cognitione oblectantur, Rhetorum magis proprium eſt, vel eorum, qui parum in litteris profecerunt, qui nunquam in diſciplinarum arcem intrarunt: gravis, & eruditus Theologus digitum tantum ad fontem intendit, & oratione ſua praetervolat. Miſſo igitur hoc argumento, exponam potius quanta maxima brevitate potero, quot, & quam incredibiles utilitates ex ea hiſtoria capiantur, cujus tradendae, atque explicandae datum eſt mihi negotium.

IX. Nunquam, niſi divine, ſcribere Paulus ſolitus, recte omnino, & appoſite initio epiſtolae ad Titum datae Chriſtianam religionem appellat ἐπίγνωσιν ἀληθείας, τῆς κατ' εὐσέβειαν, ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου, *cognitionem* videlicet *veritatis*, *quae ſecundum pietatem eſt*, *in ſpem vitae aeternae*. Eo enim tota ſpectat religio, ad quam nos Dei Filius ſuis ipſe laboribus, conſiliis, legibus erudivit, ut cognitione veri imbuamur, atque in pietatis ſtudium toto, ut dicitur, pectore incumbamus, quo tandem haereditatem Filiorum Dei, quae nobis in coelo ab omni aeternitate conſtituta eſt, adeamus. Cogitanti vero mihi, ac memoria recentiora, & vetera repetenti illud ſtatim occurrit animo, ad coeleſtis, quam quaerimus, veritatis adeptionem, ad excolendam virtutem, ad regendam, & moderandam vitam, nihil fructuoſius eſſe, immo ne magis quidem neceſſarium, quam accuratam Eccleſiae noſtrae, & religionis hiſtoriam, rerumque tot retro ſaeculis in ea geſtarum ſcientiam. Quo

 ego

(1) Veteres ſcilicet aemulari Philoſophos, cum primis Stoicos, quorum doctrina, & praeceptis imbuti plerique erant de veterum Juriſconſultorum familia. Nam & Philoſophi olim ſe vocare ſolebant τῶν ἀρετῆς προστάτας, καὶ μόνους ἱερεῖς ......, *virtutis Antiſtites*, & *ſolos Sacerdotes*, ut ex Diogene Laertio in Prooemio accepimus.

ego loco ad persuadendum, quod maxime cupio, generatim, atque universe argumento illo uti possem, quod cum veritatis cognitio ex Theologia, quae rerum divinarum, & religionis scientia est, hauriatur, Theologicarum vero disputationum cardo quam saepissime in re gesta versetur, nemini dubium, aut ambiguum esse potest, quin, ut plurima religionis capita ad liquidum explorentur, quam saepissime etiam opus sit ex annalium monumentis testes excitare clarissimos veritatis, & multas, ac graves controversias historiae luce, praesidioque dirimere. Fuit enim, fuit olim tempus cum illi, qui Theologi esse, & nominari volebant, in rebus plane inutilibus, bonaeque frugis expertibus tantum laboris, & opera collocabant, magna inter se voce contendentes, disputantesque totos dies, *an filius Dei fieri potuerit foemina* (exempla consector, quae dedita opera Maldonatus congesserat in oratione Lutetiae habita), *an filius Dei fieri potuerit foemina*, *an charitas augeatur per additionem gradus ad gradum*, *an per majorem radicationem in subjecto*, *an sacramenta sint in aliquo praedicamento*, *an asinus* (quod fere pudet dicere, sed dicendum est tamen), *an asinus possit bibere Baptismum*. Abiit, abiit negotiosa illa aetas, totaque in tricis, nugisque maximis occupata, cum litium appetentissima, & lacertosa Scholastica disputabat id, de quo Theologos aetatis suae merito irridebat Erasmus, sit ne Deus cucurbita, an potius in Scarabaei antro commoretur. Bene superis, hominibusque faventibus, suus splendor, suum Decus, sua dignitas, atque majestas Theologiae restituta est, profligatisque barbaris quaestionibus, atque ultra Sauromatas, & glacialem Oceanum amandatis (utinam nos in posterum nunquam invisant!) sacrosancta religionis capita, & augustiora mysteria tractantur, atque evolvuntur, omnisque, quae de re aliqua bene instituta est disputatio, ad antiquitatis regulam, ad veterum saeculorum memoriam, ad Ecclesiasticae historiae fontes, tanquam ad Lydium lapidem, revocatur. Id quod cum nobilis, & illustris Theologus, Melchior Canus, Hispaniae pariter, atque Dominicanae Familiae ornamentum, & lumen, faciendum esse in Theologicis disputationibus statuisset, *equidem historiam, esse Theologo differenti necessariam, cum saepe alias*, inquit, *tum maxime in hoc opere animadverti*, *ubi quantus mihi fuerit historiae humanae usus*,

qui

qui ſuperiores libros *attigerint*, *ii facile judicabunt. Numquam magnus poſtea futurus ſit, non audeo ego in praeſentia dicere, ne montes aureos videar polliceri. Certe quantum hiſtoriae cognitione Theologi indigeant, vel illi abunde magno argumento ſunt, qui ejus ignoratione ſunt in varios errores lapſi*. Haec praeſtantiſſimus ille vir omni Theologiae laude perfectus (*a*).

X. Verum ut ipſis propemodum manibus, Auditores, teneatis, quam uberes, & laetos fructus ſanctioris hiſtoriae cognitio pariat, quot detrimenta, & incommoda pariat ignoratio, operae praetium erit aliquando diſtinctius agere, & rem tanquam in partes tribuere. Sic igitur ſtatuatis, velim, veritatis cognitionem, qua, Paulo judice, Chriſti religio continetur, tripartito ſpectandam eſſe. Vel enim ejus cognitio impertienda Gentilibus, quorum mentibus fides lumen non attulit, vel ipſa religio adverſus Eccleſiae deſertores, & transfugas, Haereticos dico, omni ope, atque opera defendenda, vel enitendum demum, ut ne ea quodammodo ullius vel dolo, vel artificio ex fidelium Chriſti animis dilabatur, ſed altius, & quotidie magis ipſorum tanquam in venis, & medullis inſideat. At quid, Deus bone! ad tantas, tamque difficiles res conſequendas Eccleſiae hiſtoria, ejuſque adjumentis, atque praeſidiis vel fructuoſius eſſe, vel accomodatius poteſt? Ut propterea vereri non debeam, ne nimis exaggerata videatur oratio mea, ſi dixerim, nihil propius, neque uberius ea diſciplina, & re ad Eccleſiae rationes, atque utilitates conducere.

XI. Hic enim ego vos conſulo, viri ornatiſſimi, quaero vehementer de vobis, quibus tandem argumentorum momentis adduci poſſe profanos homines exiſtimetis, ut, depoſito errore, & ſuperſtitione abjecta, in Eccleſiae ſe caſtra recipiant? Profecto id mihi reſponſi taciti dabitis, de quo conſtat inter nobiliores, eruditioreſque Theologos, promenda argumenta eſſe ex admirabili ratione, & via, qua religio tam praeter opinionem omnium, tam celeriter, tam longe, lateque diſſipata eſt; ex ſignis, atque prodigiis, quibus a Dei filio, ab Apoſtolis, ab eorum ſucceſſoribus, atque diſcipulis confirmata; ex multitudine fortiſſimorum Martyrum, quibus enumerandis

(*a*) De loc. lib. 11. cap. 2.

nulla par esse potest industria; denique ex frequentissima sanctissimarum foeminarum, mulierumque familia, quae virginitatem, aut viduitatem Deo suam jam inde ab ultima antiquitatis memoria consecrarunt. Mitto enim Pilati acta, taceo oracula, praetereo Celsi, Juliani, aliorumque Christiani nominis hostium testimonia. Argumento ex virginibus ducto pugnarunt doctissimi quique Veterum, illudque in profanos Philosophos magna vi intorserunt. S. Antonius nominatim, Athanasius, Ambrosius, & qui aureum orationis flumen fundit; Joannes Chrysostomus (1). Argumentum petitum ex infinita Martyrum multitudine, eorumque in perferenda morte constantia etiam, atque premunt tum alii, tum praecipue Tertullianus (*a*), atque Athanasius (*b*). Nihil enim cum tam singulari, atque inaudita nostrorum militum fortitudine, nihil cum tam diuturna, & voluntaria suppliciorum omnium perpessione commune habet inanis de se Stoicorum jactatio: neque alia sane res Justinum Philosophum, Claudium Tribunum, Romanum, multitudinemque Gentilium frequentissimam permovit, ut se ad religionem nostram conferrent, nisi quia cernebant oculis, atque obstupescebant constantiam, alacritatem, laetitiam, qua Christiani quique ex omni ordine, & loco, puellae etiam, delicatissimaeque mulieres ad mortem, atque ad atrociora ipsa morte supplicia convolabant. Quamobrem jure prorsus, ac merito Romanorum praesides alloquebatur Tertullianus his verbis: *cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio est enim innocentiae nostrae iniquitas vestra.... Nihil proficit exquisitior quaeque crudelitas vestra; illecebra est magis sectae. Plures efficimur, quoties metimur a vobis; semen est sanguis Christianorum. Multi apud vos ad tolerantiam doloris, & mortis hortantur, ut Cicero in Tusculanis; ut Seneca in Fortuitis, ut Diogenes, ut Pyrrhon, ut Callinicus: nec tamen tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factis docendo. Illa ipsa obstinatio, quam exprobratis, magistra est* (*c*). En quanta verborum gravitate, viri Sardi, Romanorum Tertullianus minas, & crudelitatem irri-

(1) Eos vide apud nos in Disput. de Morali Patrum doctrina par. 2. §. 22. & 23. Quod autem de Virginibus dixi, idipsum statuendum de Viduis, ut fere intelliges ex par. 3. §. 105. Disput. ejusdem. (*a*) In Apologet.
(*b*) De Incarnat. Verbi. (*c*) Apolog. cap. ult.

irrideat: en quibus ſententiarum luminibus argumentum ex numero, & conſtantia Martyrum repetat, ut ſanctiſſimae religionis hoſtes coarguat. Sumite in manus, tantiſper ſumite, oro, Auditores, Patrum noſtrorum libros, monumenta percurrite; & me ſponſore reperietis, magna illos verborum copia, rerumque omnium ubertate, & ſplendore caetera, quae ante dixi, argumenta preſſiſſe, atque illuſtraſſe. Nunc autem fieri nequit, ut rationes id generis adverſus profanos homines proferamus, neque, ut illa, quae contra ipſi afferunt, contorta, & aculeata ſophiſmata diluamus, atque enervemus, dempto hiſtoriae ſacrae praeſidio, ſublata antiquitatis ſcientia. Repetuntur enim cum noſtra argumenta, tum adverſariorum machinae ex vetuſtate annalium, ex rebus geſtis, ex actis Martyrum, ex faſtis Eccleſiae, verbo, ex omnium ſaeculorum memoria: idque vel una aperte loquitur maximi ponderis controverſia, de innumerabili, & confertiſſima eorumdem Martyrum multitudine, quam non ita pridem Henricus Dodwellus, homo in hoc genere arrogantiſſimus, conatus eſt imminuere, retinuerunt autem, ac vindicarunt diſputationibus, & libris ſuis viri doctiſſimi, atque ingenioſiſſimi, Ruinartius, Pagius, Sandinus, Mamachius, Politus meus, Rinaldus, Lazeri, ſimiles. Fateamur igitur neceſſe eſt, cognitione Eccleſiaſticae hiſtoriae nihil utilius, aut fructuoſius eſſe poſſe, ut profani, quos dixi, homines, Gentiles videlicet, ab errore abducantur, atque ut dulce veritatis lumen intuiti in Chriſtiana tandem religione, tanquam in portu, placidiſſime conquieſcant.

XII. Neque aliter ſtatuendum, ſi de expugnanda Haereticorum pertinacia, quae prora illis, & puppis eſt, diſſeramus. Hoc Catholici dicimus, hoc Heterodoxi uno ore confirmant, Martinus Flacius Illiricus, Samuel Baſnagius, Joannes Clericus, Walchius, atque alii longe plurimi, quorum moleſtum eſſet vel perſequi nomina, vel explicare ſententias. An vero ad conſtabiliendam religionem in hominum mentibus, atque has confirmandas, quidquam habebit plus efficacitatis, & virium, quam ſi doctrinae cum tota antiquitate, Apoſtoliciſque viris conſenſio bono in lumine collocetur? Ad oppugnandam vero impietatem, atque profligandam perfidiam nonne mirum in modum conducet, ſi quis in vetere hiſtoria pro-

be

be exercitatus, & doctus opinionum tanquam infantiam, & novitatem aperiat, easque cum antiquioris Ecclesiae judicio, & sensu plane discordare certis, atque perspicuis monumentis efficiat? Novimus, jam inde a primis saeculis pervagatum in Ecclesia fuisse, atque omnium tritum linguis nobile illud sacrosanctae Trinitatis praeconium, *gloria Patri*, *& Filio*, *& Spiritui Sancto*. An vero non hinc intelligimus, non colligere possumus, credidisse semper Ecclesiam, Patrem juxta, ac Filium, Filium non dissimiliter, ac Spiritum Sanctum Deum & esse, & nominari oportere? Quid, ait ipse Basnagius, scriptor a nostra religione sane quidem alienissimus, *quid refellendis Heterodoxis aptius*, *quam Patriarcharum eorum in Conciliis ubique celebratis damnatio*, *qua nepotum quoque errores quasi fulminibus obruuntur* (*a*)? Quid adjungere debuit, vehementius Haereticos commovet, Lutheri, Calvini, Zuinglii, similium asseclas magis perterrefacit, atque prosternit, quam ubi ex constanti, atque legitima successione Pastorum, Romanorumque in primis Pontificum serie docemus, illorum duces, atque signiferos ab ipsis Apostolis turpiter defecisse, itaque a vera Dei Ecclesia miserabiliter aberrasse? Quam esse caussam putabitis, cur Lutheriana, atque Calviniana pestis tot superioribus saeculis, cum primum erupit ex Inferis, progressus habuerit? Tum aliae caussae, rationesque extiterunt, tum illa sine dubio, quam dolenter Melchior Canus commemorat, quod *homines verbo tenus in Theologia Magistri pugnavere illi quidem adversum Ecclesiae inimicos*, *sed valde tamen infeliciter*: quippe tum ab aliis praesidiis, tum ab omni Ecclesiasticae historiae cognitione imparati (1). Quae res Caesarem Baronium mo-

(*a*) Init. Praefat. ad Ann.

(1) Dixerat vero idem ille Theologus proxime superioribus verbis: egit *autem Diabolus*, *quod sine lacrymis non queo dicere*, *ut quo tempore adversum ingruentes ex Germania haereses oportebat*, *Scholae Theologos optimis esse armis instructos*, *eo nulla prorsus haberent*, *nisi arundines longas*, *arma videlicet levia puerorum*. *Ita irrisi sunt a plerisque*, *ac merito irrisi*, *quoniam verae Theologiae solidam effigiem nullam habebant*, *umbris utebantur*. De loc. Theol. lib. 9. cap. 1. eam ob rem irrisus, ut de aliis taceam, *Silvester Prieras*, fuit *ordinis FF. Praedicatorum Professor S. Palatii Magister*, qui *Lutheri sophismata detexit potius*, *quam confutavit*, *Dialogo S. Pontifici oblato*. *Huic* enim *statim respondit Lutherus*, *Scholasticam*, *& Thomisticam Theologiam*, *in qua exercitatissimus erat Prieras*, *contemnens*, *seque in errore pertinacius obfirmans*, *quod SS. litterarum*, *veterum Conciliorum testimoniis*, aliisque argumentis, quae nobis e thesauris antiquitas suis suppeditat, *ab adversario non satis premeretur*. Quae Natalis Alexandri, eaque plena prudentiae animadversio est H. E. saec. 15. & 16. cap. 2. art. 10. §. 2.

movit, atque inflammavit, ut opus aureum, atque immortale de Ecclesiae Annalibus moliretur? Illa, illa prorsus, ut perditos homines, qui ab Ecclesia, atque a Romano Pontifice, Petri successore, Deique Vicario rebellaverant, ipsis vetustatis documentis, publicisque Ecclesiarum tabulis ad pacem, atque concordiam revocaret, eademque ut opera Magdeburgensium errores, mendacia, fabulas in veritatis lucem proferret. Quid plura? Qua ratione adductos fuisse existimabitis tot eximios alios, & eruditos viros, ingenio, prudentiaque acutissimos, qui post Baronium ex Baronii fontibus hortos suos copiose irrigantes ad scribendam, atque perpoliendam Ecclesiae historiam animum appulerunt, Pagius, Godavius, Tillemontius, Natalis Alexander, Ursius Cardinalis, Bertius, ne quid dicam de Fleuryo, Dupinio, Racino, similibus? Objecta videlicet utilitatis specie movebantur, quam laborum suorum amplissimum esse praemium, honestissimamque mercedem statuerant. Quid tandem Henricum Valesium impulit, atque incitavit, ut parentem Ecclesiasticae historiae Eusebium, Socratem etiam, Sozomenum, Theodoretum, Evagrium, in publicam iterum hominum lucem proferret, corrigeret, expoliret, expolitos vero accuratis, atque perpetuis commentariis illustraret? Fatetur Valesius ipse de se in epistola ad Galliarum Antistites his prorsus verbis, quod nimirum *ad convincendos Haereticos nihil efficacius est, atque potentius, quam hoc genus scriptionis* (1). XIII.

(1) *Quippe hominum animi*, pergit statim Valesius, *disputationibus, ac ratiocinando aegre se vinci patiuntur. Et quoties constrictos se vident, nec habent, quod respondeant, non tam veritati id adscribunt, quam adversariorum in disputando subtilitati, ac versutiae. Certe diuturno experimento comprobatum est, seu scriptis, seu viva voce editis disputationibus, accendi potius Haereticorum animos, quam sanari. Historia vero rerum Ecclesiasticarum, cum se in animos legentium placidius insinuet, longe faciliorem de iis victoriam refert. Quis est enim ex diversae factionis hominibus, qui cum Ecclesiasticam Historiam attente perlegerit, non statim pudore suffusus errorem suum illic damnatum agnoscat, seque velut membrum a reliquo corpore praecisum defleat?* In epist. ad Gallic. Antistites.

Eadem in specie caussa est, cur Heterodoxi historias, & ipsi suas conscripserint, nec conscribere desinant, cum vel anno 1744. Joannis Georgii Walchii Ecclesiastica primorum quatuor saeculorum historia Jenae prodierit. Nempe conantur docere, si possint, opiniones, vel citius errores suos ipsa se antiquitate defendere, contra autem ex annalium memoria, saepissime etiam negantibus, quibus totos dies misere abuti solent, argumentis nituntur efficere, Romanae Ecclesiae decreta, ritus, caeremonias, disciplinam, preces superstitionem, & novitatem olere, & cum veteris Ecclesiae more, instituto, doctrina mirifice discordare. Ipsa ergo religio, quam a Paulo vidimus appellatam *cognitionem veritatis* fuisse, non committit, nec sinit, Ecclesiae Romanae Theologos, ab Heterodoxis audacter, ac temere tot scriptionibus lacessitos, otio, silentioque languescere, neque de Pontificiae historiae studiis cogitare.

V. Scilicet injucunda Sardis hominibus futura est rerum apud ipsos gestarum historia, prudens nimirum, dilucidaque narratio. Quasi vero majores suos, qui aliquo genere laudis floruerint, non omnes diligant, habeantque charissimos. Quasi non cuique insitum natura sit, ut nationis suae studio teneatur, eamque inter caeteras velit excellere. Quasi, ut splendidius dicam, non omnes omnium charitates patria una complectatur. *Cujus*, auctore Tullio, *tanta vis*, *ac natura est*, *ut Ithacam illam in aperrimis saxulis*, *tanquam nidulum*, *affixam sapientissimus vir* Ulysses *immortalitati* praetulerit (*a*). Itaque fit, ut patria ipsa, in qua orti, & procreati sumus, non tam operibus magnificis, exquisitisque antiquorum artibus nos delectet, quam recordatione Summorum virorum, ubi quisque habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus, studiosissimeque, quidquid ad illos attinet, contemplamur, & jucunde nobiscum recolimus. Me ego ex numero hominum non esse profiteor, qui totos dies hoc cogitant, quo modo alienis auribus serviant, & quibus tandem blanditiis virorum cumprimis potentiorum gratiam aucupentur. Semper auget assentatio id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult esse magnum. Vitium sane prorsus indignum persona, & gravitate Theologi, a quo propterea sic abhorreo, ut ipsos etiam assentatores cane oderim, & angue pejus. Novi enim cum Ciceronis praeceptum, *benevolentiam civium blanditiis*, *& assentationibus colligere*, *turpe est* (*b*), tum praeclaram illam, atque commemorabilem viri sanctissimi, Bernardi vocem, *pessima vulpes*, *ocultus detractor*, *sed non minus nequam adulator blandus*. *Cavebit sapiens ab his* (*c*). Nisi ita essem a natura comparatus, statim ego hic a principio magna voce, & bonis lateribus praedicarem id, quod fortuito didici, vobis autem audire pergratum esset, Ignatium Martyrem (qualem immortalis Deus, & quantum virum!), Ignatium Martyrem, cognomento Theophorum, Antiochenorum Episcopum, Apostolis familiarem, & intimum, cui Petrus ipse manus imposuit, antiquissima Urbe Sardiniae Nora, quae Antonino Nura dicitur, oriundum fuisse. *Ignatium*

X enim

(*a*) Lib. 1. de Orat. Cap. 44. edit. Oliv.
(*b*) De Amicit. cap. 7. (*c*) In Cant. Serm. 63.

enim *Nurianensem*, *Episcopum Antiochenum* commemoravit Gregorius Abulfaragius in Dynastiarum historia (*a*), ex cujus verbis Ernestus Fentzelius, Heterodoxus ille quidem scriptor, sed eruditus tamen, colligit, nobilissimum Martyrem ex urbe Nura ortum suum duxisse (*b*). Quam conjecturam acuti hominis non infelicem appellat Caveus (*c*), approbat Grabius, (*d*) non rejicit Hydius, quem Grabius ipse confirmantem inducit, *forte ex patria Nora*, *sive Nura natum quoque Latinum nomen Ignatii*, *parente Judaeo apud Sardos proseminati*, *quia Nur*, *sive Nura Chaldaice ignem significat* (*e*). Sed hoc ego eruditionis studio, & quasi praeteriens attigi, quia novum, atque inauditum videri poterit, non eo sane consilio, ut gratiam, benevolentiamque vestram colligerem.

VI. Ecclesiastica enim Sardorum historia ea est, in qua exornanda difficilius sit exitum, quam principium invenire, etsi rerum narratio ad severioris Criticae regulam exigatur. Tam diffitis, & antiquis temporibus Christiana religio in Sardiniam pervasit, ut vestra Ecclesia multis oppido, atque his nobilissimis Italiae Ecclesiis vetustate antecellat. Loquuntur hoc, me tacente, Sanctissimi Martyres, multitudine propemodum innumerabiles, qui apud vos religionis nostrae veritatem, ac vim sua morte, & sanguine confirmarunt, in his qui dignitate longe omnes praestitit, Pontianus, Summus Dei Vicarius, atque ejus in exilio Comes, & Sacerdos, Hippolytus. Caralitanus Antistes jam inde a quarto saeculo Metropolitae munus, atque personam sustinuit (*f*): itaque Episcoporum concilia multo ante aetatem Gregorii Magni quotannis convocabat (1), novos consecrabat Antistites, eique Baleari-

des

(*a*) Dynast. 7. pag. 119. ex Interpret. Pocokii.
(*b*) Par. 1. Exercit. selectar. 3. §. 1. (*c*) In Ignatio.
(*d*) Praefat. in Spicileg. PP. tom. 2. p. 1. 2. (*e*) Apud Grab. Ibid.
(*f*) Ex Matthaejo Differt. ad Sardin. sacr. cap. 15. num. 3.

(1) Id aperte docet locupletissimus ille Gregorii Magni locus in epistola ad Januarium, Caralitanum Antistitem, *Episcoporum etiam concilia*, *sicut jam tuae mos dicitur fuisse Provinciae*, *quam juxta sacrorum Canonum auctoritatem praecipitur*, *bis in anno celebrare te volumus*. Ep. 4. lib. 4. edit. Maur., olim lib. 3. Emendandus igitur, summa vir eruditione, & doctrina, Thommassinus, cui scriptum est: *nec monumenta extant ulla*, *nec vestigia Conciliorum in Sicilia*, *vel in Sardinia habiterum* ante Pontificatum Gregorii (V. & N. E. D. par. 2. lib. 3. cap. 40. num. 9.): multoque minus audiendi, qui ponunt ab eodem Gregorio, non antea, Caralitanum Antistitem renunciatum Metropolitam fuisse.

rides insulae, quin etiam Corsica obtemperabant (*a*). Sardorum vero Episcoporum magnum sane in tota Ecclesia nomen, magna existimatio. Athanasius enim in 2. ad Luciferum vestrum epistola *Praecessores* ipsius Martyres nominat, & *in choro Angelorum* positos esse confirmat (*b*); Quintasius, Calaritanus Pontifex, una cum Ammonio Sacerdote primo interfuit Arelatensium Patrum concilio, quod contra Donatistas anno habitum est 314.; ad Concilium vero Sardicensium, quod in annum incidit 347., tam clarum autem fuit, & nobile, plures Sardorum Episcopi confluxerunt, eidemque, quidquid ibi decretum est, suis sententiis, teste Athanasio (1), approbarunt, decreta vero, atque acta Concilii perferri in Sardiniam curavit Julius Pontifex Maximus (*c*). Luciferum secundum eo nomine, Caralitanorum, Martinianum Forotrajanensium, Vitalem Sulciensium, Felicem Turritanorum Antistitem Victor Vitensis beatissimis Episcopis illis adnumerat (*d*), qui anno 484. ab Hunnerico Vandalorum rege Chartaginem acciti sunt, ut, quae fides sua esset, quidve de religione sentirent, profiterentur; qui praeterea celebratissimam doctrinae nostrae formulam ab Eugenio Chartaginiensi adversus Arianos conscriptam, & impio regi oblatam, chirographo suo roborarunt, in exilium deinde pulsi multas, ac magnas religionis, Deique caussa calamitates invicto animo pertulerunt. Neque id sane mirum. Vere enim confirmare hoc possumus, ex natione, & gente vestra, tanquam ex equo Trojano milites, summos olim, & praestantes viros, sapientia, integritate vitae, ingenio, honoribus florentissimos prodiisse. Hinc Lucifer ille, fortissimus Arianae perfidiae oppugnator, quem *verum Templum salvatoris .... Eliam alterum .... hominem Dei, famulum Christi, participem Apostolorum, solatium fraternitatis, magistrum veritatis* Athanasius ipse appellavit (*e*). Hinc Hilarius,

(*a*) Ex Matthae. ibid. num. 9.
(*b*) Tom. 1. par. 2. edit. Maurin.
(1) In Apolog. cont. Arian. *caeterum iis, quae pro nobis decreta sunt, suffragati sunt Episcopi plures trecentis, ex provinciis Ægypti. Libiae ...... totius Sardiniae*. Optime igitur de Athanasio meriti Sardorum Episcopi.
(*c*) V. Coustant. epist. Syn. Conc. Sardic. ad Julium Papam quae est ordine 3. num. 5.
(*d*) Lib. 3. Persec. Afric.
(*e*) In epist. 2. ad Lucif. tom. 1. par. 2. edit. Maur.

larius, Romanae Ecclesiae Diaconus, sed Sardus tamen, qui, licet extrema aetate a seipso defecerit, nihilominus litterarum, & ingenii gloria singulariter floruit, legatusque una cum Lucifero ad Constantium Imperatorem a Liberio, Pontifice Maximo, cum Valentis, & Ursacii jussu flagellis, atque verberibus crudelissime caederetur, Deum patientissimo ore laudabat, memor videlicet, ut auctor est Athanasius, verborum Christi, *dorsum meum dedi percutientibus* (a). Hinc Eusebius, qui in ore est omnium, Vercellarum Episcopus, qui non solum tot labores, pericula, pugnas, itinera, exilia Christi caussa exantlavit, sed etiam, quae res minus pervulgata est, in Graecis litteris mire eruditus Eusebii in Psalmos commentarios latine reddidit, jussuque Julii Romani Pontificis latine similiter quatuor vertit Evangelia: opus auro contra aestimandum superioribus primum annis vulgatum, vulgatum autem ex vetustissimo Codice, Eusebii ipsius manu, & litteris exarato, quem novem ante saeculis tanto habuerunt magni Reges in pretio, ut illum Berengarius ad injuriam temporis propulsandam laminis ex auro, argentoque contextis obtegendum curaverit, eo adscripto Epigrammate;

Praesul hic Eusebius scripsit, solvitque vetustas,
Rex Berengarius sed reparavit idem:
Argentum postquam fulvo deprompsit, & auro,
Ecclesiae, Praesul, obtulit ipse tuae (1).

VII. Verum quid ego Luciferi, Hilarii, Eusebii laudes diutius memoro? An non ex Sardis hominibus delecti sunt, quibus saeculo quinto summum totius Ecclesiae Sacerdotium mandaretur, honor videlicet longe omnium amplissimus, cujus luce plures nationes caruerunt? Atqui talis sine dubio Hi-

(a) Ex epist. ad Solitar.

(1) De his vide Blanchinii *Evangeliar. quadruplex* in Prolegom. ad Codicem Vercell. tom. 1. Interim Sardis, quos dixi, viris adde Herennium, & Agapetum, Luciferi Caralitani Diaconos. Hos enim cum Lucifer anno 362. (ex Epist. Synod. S. Athanasii ad Antioch.) legaverit ad Alexandrinum Concilium, ubi de gravissimis religionis, & disciplinae capitibus tractatum est, prorsus credibile fit, ambos in utroque doctrinae genere probe eruditos, atque exercitatos fuisse, praesertim si ejus aetatis oratio habeatur, in qua multae, magnaeque virtutes in Diaconis requirebantur.

Hilarus fuit, hac ipsa in urbe, auctore Ciacconio, procreatus; talis consensu omnium Symmachus, Pontifices ambo summa gloria praediti, & sanctimonia vitae ornatissimi, quorum illum Romani Concilii Antistites anno 465. *Dignum Papam*, *dignum Doctorem* vocarunt, & quidquid is ad deliberandum posuisset in medio, non ipsis, ut solet, suffragiis, sed maxima acclamatione jus, ratumque esse jusserunt; Symmachus vero tum omnis virtutis, officii, heroicaeque in primis constantiae exemplar fuit, tum ea Sardiniam suam charitate complectebatur, ut ad Africanos Episcopos, Trasimundi Vandalorum regis edicto, hic apud vos, in urbe Carali, magno numero exsulantes, multum quotannis pecuniae, & vestium amantissime mitteret (1). Post haec libenter Brumatium taceo, qui per eadem tempora Caralitanam summa cum laude moderabatur Ecclesiam, quique immortali illi viro Fulgentio, Ruspensis Ecclesiae Antistiti, collegarum exsulum solatio, praesidio, lumini potestatem fecit, ut prope Saturnini Martyris aedem Monasterium a fundamentis construeret (*a*). Praetermitto majores vestros, Caralitanos cives, qui ex omni ordine, loco, aetate, viri nominatim patricii, nobilissimo genere nati, pietatis, ac religionis studio quotidie fere ad audiendum Fulgentium frequentissimi confluebant, & ad ejus voluntatem, & nutum vitam, actiones, consilia sua omnia conformabant (*b*). Silentio etiam non invitus transeo senem optimum, atque lenissimis moribus, quem Samuel ille Basnagius paullo in Annalibus (*c*) injuriosius tractavit, notissimum omnibus vestrae hujus Civitatis Episcopum, Januarium, quo Pontifex re, & nomine vere maximus, Gregorius primus familiarissime utebatur. Illud praeterire tacitus nequeo, quod ubi Fulgentius iterum a Trasimundo exilii poena mulctatus in Sardiniam rediit,

(1) *Hilarus natione Sardus*, & Crispini filius ab Anastasio Bibliothecario appellatur. Ejus nomen inde etiam in magna famae celebritate est, quod consilio, hortatuque ipsius novum Victorius Aquitanus Paschalem induxit Cyclum, constantem annis 532. qui dicitur Victoriana Periodus, ea excogitata de re, ut Alexandrini in posterum cum Latinis in celebrando Paschate convénirent. Symmachum non me latet, Romanum facit Blanchiniana Anastasii editio; aliter statuit tamen communis historicorum consensio.

(*a*) Ferrandus in vita S. Fulgent. cap. 27.

(*b*) Ibid. cap. 20. (*c*) Ad an. Dom. 598. num. 4.

diit, *exſulantium Coepiſcoporum laetos animos reddidit* (rem, unde magnus ad vos gloriae fructus pervenit, totidem verbis narrat Fulgentii noſtri diſcipulus, qui ejus vitam litterarum monumentis mandavit), *exſulantium igitur Coepiſcoporum laetos animos reddidit, ipſamque Provinciam, cui tantorum praeſentia Sacerdotum tribuebat ornatum, praeſentiae ſuae luce fecit ſplendidam, concurrentibus undique Chriſtianis hominibus cum gaudio videre Athletam Chriſti fortiſſimum* (*a*); tanta ſcilicet erat Sardorum pietas, atque religio, quae ex ore, vultu, oculis eminebat. Multo minus impetrare a me poſſum, ut ne mentionem faciam Sardinienſis Concilii, ab eiſdem Afris Epiſcopis Carali habiti, ut Conſtantinopolitanorum poſtulatis, & quaeſtionibus cumulatius ſatisfacerent. Cum enim in urbe Conſtantinopoli religioſi, piique homines Fauſti Rejenſis libris graviſſime offenſi fuiſſent, eaque re per Joannem, & Venerium legatos ſuos Fulgentium ſibi conſulendum putaſſent, convocarunt exſules noſtri concilium, quod Caveus (*b*) anno circiter 521. aſſignavit, quaeſtionibuſque de Dei gratia, & libera hominis voluntate Synodica reſponderunt epiſtola, quae inter Fulgentii opera legi poteſt. Sed ne illud quidem ſilere vel poſſum, vel debeo, quod eſt a Summis Theologis traditum, & cum ſingulari Sardiniae laude, gloriaque conjungitur, Gregorium Magnum, quem ſaepe appellavi, veſtris ſexto ſaeculo Sacerdotibus poteſtatem illam tribuiſſe, ut, ubi ſacrorum deeſſent Antiſtites, *ſacramentum*, ut loquimur, *Confirmationis conferrent* (1), poteſtatem ſane quidem tantam, tam no-

(*a*) In vit. S. Fulg. cap. 26.
(*b*) Hiſtor. Litter. in Conc. 6. ſaeculi.
(1) I. Legatur epiſtola 26. lib. 3. nunc lib. 4. ſecundum edit. Maurinorum. Scio equidem, quis enim neſciat? doctiſſimos eſſe homines, qui exiſtiment, loqui Gregorium de pura puta Baptiſmi caeremonia, in his Eſtium, de Marca, Berardum, & alios, motos ea praecipue re, quod legi in hac epiſtola debeat, *baptizandi ſunt*, &, *baptizandos*, haud ſane, *baptizati ſunt*, & *baptizatos*. Ego vero rationes, quas plerique alii Theologi adhibent, ut oſtendant, de Sacramento loquutum eſſe Pontificem, tam perſpicuas, atque nervoſas eſſe arbitror, ut, quacumque tandem ſcriptura uti velis, nefas mihi quidem videatur ab eorum ſententia deſiſtere.

II. Gregorius in eadem epiſtola (liceat enim hoc loco quandam Samuelis Baſnagii criminationem refellere), Gregorius in eadem epiſtola Januario mandat, ut colonos praediorum ſuorum Gentiles poena etiam, ſi opus fuerit, pecuniaria ad ſuſcipiendam Chriſti religionem compellat. Ea res ſtomachum movit Baſnagio, ſcriptori adverſus nos iratiſſimo, propterea que admonuit, rationibus ejuſmodi neminem cogendum eſſe:

esse: itaque sibi Gregorii jussum plane improbari. Eo nos de monito multas homini agimus gratias. Ipse enim Gregorius persaepe scribit, neque Judaeos, neque Gentiles vi, & mulcta ad sacra nostra cogendos esse. Sic enim epistola 34. lib. 1. *eos, qui a religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo ad unitatem fidei necesse est congregare*. In epistola vero 45. ejusdem libri Virgilii, & Theodori Galliarum Antistitum, factum multis verbis redarguit, qui Judaeos, illata vi, ad Baptismum compulerant. Quin etiam idem Gregorius in alia ad Januarium nostrum epistola, cum improbasset Petri Neophyti facinus, qui ipso die Paschatis Judaeorum Synagogam invaserat, atque occupaverat, haec addit animadversione dignissima: *hac circa eos temperantia magis utendum est, ut trahatur ab eis velle non reniti, non ut adducantur inviti, quia scriptum est*, voluntarie sacrificabo tibi (epist. 5. lib. 7. indict. 2. nunc 6. lib. 9.): quem locum paullo post ille ipse Basnagius, parum, ut solet, sibi constans produxit. Ad an. Christ. 598. num. 4.

Res cum ita se habeat, oportuit sane, praecipuam aliquam fuisse caussam, cur nunc Gregorius, mutato fere consilio, statuendum putaverit, ut coloni Gentiles, proposito metu poenae, ad suscipiendam religionem Christi adigantur. *Si rusticus tantae*, inquit, *fuerit perfidiae, & obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime consentiat, tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suae poena compellatur ad rectitudinem festinare*. Quaenam vero praecipua illa caussa est? Quoniam hunc nodum, qui primo adspectu eruditis objicitur, expediendum sibi, atque explicandum proposuit clarus, & illustris vir, Carolus Sebastianus Berardus, qui Pontificium Taurini jus magna ingenii, & doctrinae gloria profitetur. Basnagium ego ipsius verbis refellam, quo plus habeat auctoritatis oratio. Ita enim Berardus: *singularis erat species in dicto Canone de Colonis, seu rusticis Ecclesiae Calaritanae, illis scilicet, qui praedia rustica illius Ecclesiae colebant, quos propterea Januario singulari jure obnoxia S. Pontifex noverat. Hos decebat abs Januario primum moneri, qui si monitis non indulxissent, possent, aut deberent severiore poena gravari, ut ea ratione ad fidem facilius adducerentur. Hoc porro gravamen, proprie vis, aut poena dici non poterat* (nam dumtaxat pensio aliquanto gravior sapientissime imperabatur), *sed modus quidam singularis, quo strictius, & ad summum jus cum Colonis Ethnicis ageretur, pollicente Episcopo, humanius se cum illis acturum, quoties Christum sequerentur. Plane de colonis praediorum Ecclesiae Calaritanae ibidem agi, apertissime liquet* ex proxime superioribus *verbis ejusdem epistolae..... quae penitius, uti decet, considerata, non aliis accommodari possunt, nisi colonis Ecclesiasticis, in quibus vigilantior esse debebat, & exactior Episcopi cura*. In Can. Gratiani par. 7. cap. 59. Sect. 13. En igitur facilis Gregoriani loci, & prompta defensio. Quanto nunc sapientius Gregorium docuisse arbitrabimur, & poena, & damno cogi Haereticos posse, ut resipiant, quin loquatur pugnantia, & secum ipse dissentiat, quemadmodum temere Barbeyracus statuerat, a me alibi opportunius refutatus? De mor. PP. doctrina par. 2. not. ad §. 41.

III. De reliquo Petri Neophyti facinus, cujus paullo ante meminimus, Calaritanae nobilitatis flos improbavit, scriptis ea de re ad Pontificem litteris; & Januarius cum id praesensisset, hominem, *ne hoc auderet*, prohibuit. *Quod cognoscentes*, scripsit postea Pontifex, *omnino laudavimus, quia sicut re vera bonum decuit Sacerdotem, nil fieri, unde justa esset reprehensio, voluistis*. Alias gratulatus est Januario, ideo quia ex Christianae prudentiae legibus in domo Epiphanii Lectoris Monasterium exaedificari vetuerat, *ne pro eo, quod domus ipsa ancillarum Dei Monasterio cohaerebat, deceptio exinde contingeret animarum*. Epist. 26. lib. 11. edit. Maur. Saepe illum Pontifex tanquam virum bonum, & simplicem nobis ostendit, suavissimis, atque lenissimis praeditum moribus. Verbo, si attentius, & animo vacuo Gregorii consulantur epistolae, ad liquidum cognoscetur, spero, Januarium, ut aliquid interdum offenderit (quae communis sane est humanae naturae imbecillitas), multis tamen floruisse virtutibus, doctrina etiam, auctoritate, consilio: ut nihil idcirco caussae fuerit, cur optimum Basnagius senem vexandum, atque exagitandum susciperet, quem valde sanctissimus ille Pontifex diligebat, habebatque charissimum.

de toto pietatis negotio sentiat, sic contra ex remotissimis terrae partibus homines in Sardiniam haud ita raro conveniunt, quorum mentibus Deus alto quodam, admirabilique consilio veritatis lumen non praetulit. Deinde quae res superioribus locis a me explicatae vehementer proficiunt, non ad Gentiles modo, sed ad Haereticos expugnandos, eaedem una omnes mirandum in modum valent, ut piorum animi quotidie magis se se confirment, atque corroborent, sanctissimaeque religionis divinam prorsus originem, ac veritatem penitissime intelligant, atque introspiciant, id quod paullo antea (§. XII.) praetereuntes tetigimus. Ad haec ut erit dandis consiliis, Episcopisque juvandis idoneus, qui multum temporis, laboris, studii insumpserit ad partes Ecclesiasticae historiae, interioresque illius latebras cognoscendas? Quis enim in oraculi propemodum loco non habeat viri ejus de gerendis rebus sententiam, qui, quod ipsi natura non tribuit, hoc studio, diligentiaque perfecerit, ut cum Apostolis, & eorum successoribus vixisse, omnes regiones, & Ecclesias perlustrasse, omnibus publicis consiliis interfuisse, omnia, quae unquam anteactis aetatibus contigerunt, praesens spectasse, atque animadvertisse videatur? Itaque memini sapientissimum illum, celebratissimumque Pontificem, de cujus laudibus numquam posteritas conticescet, Benedictum XIV. consuevisse semper ad difficillimas de gravissimis rebus consultationes Nanum Tillemontium adhibere, adeo ut nihil prorsus, quod alicujus momenti esset, statueret antea, atque decerneret, quam diu, multumque illius libros, meditateque evolvisset.

XV. An vero illius quidem humanarum omnium, & divinarum rerum moderatricis prudentiae major aliunde vis, quam ex historia colligi potest? *Non enim avium cantu, aut volatu, non inspiciendis pecudum fibris, non interpretandis hariolorum cantibus futura praenoscuntur; qui cujusque consilii, aut incepti exitus esse soleat, qui diligenter notaverit, atque observaverit, is demum, quid ex quoque eventurum sit, optime, ac certissime providebit. Quamquam enim hoc ipsum, quemadmodum dicebat Agatho, verisimile sit, multa, praeter id, quod verisimile est, evenire, plerumque tamen e similibus similia existunt, neque ulla certior regula est judicandi, quo quaeque res evasura sit, quam inspicere, quem exitum similia in longinquita-*

te temporis saepius, ac frequentius habuerint (*a*). Itaque effecit ea res, ut omnium aetatum sapientissimi quique, qui gravitate sententiarum, & prudentiae studio ducerentur, tum alios historiarum scriptores diligenter evolverint, tum praecipuo in honore Tacitum semper habuerint, eumque assiduam, & accuratam lectionem viris Civitatis principibus omnium utilissimam judicarint. Paulus III. Pontifex Maximus, quo nullum sapientiorem senem ejus aetatis homines viderunt, Tacitum saepe relegendo contriverat. Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriae Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam, quae vulgo fortuna dicitur, in consilio, & prudentia consistere docuit, Taciti libros in deliciis habebat, eorumque lectione avidissime fruebatur (*b*). Neque non hodie multi vel principum, vel eorum, qui de summis rebus a principibus in consilium adhibentur, aut Taciti annales studiosissime legunt, aut praestantes alios Graeciae, Latiive historicos attentissime pervolutant, ut illis deinde tanquam prudentiae magistris utantur. Quae si de profana historia verissime dicimus, quid, amabo, statuendum est de Ecclesiae annalibus, quibuscum nullius gentis historia est, quae vel magnitudine, vel rerum praestantia, vel diuturnitate temporis, vel omnis generis exemplorum copia, & varietate contendat? Quantam in eo vigere, ut consilii (§. XIV.), sic etiam prudentiae vim arbitrabimur, qui illorum cognitione, & studio multos, & magnos progressus habuerit? Ut erit ille ad consultandum idoneus, par juvandis Episcopis, caeterisque Pastoribus, ad gerendas gravissimas cum gloria res apprime institutus! Prorsus ut delirare mihi videantur, quorum animos stultissima illa occupavit opinio, viros doctos, & litteris deditos ita fere comparatos esse, ut publicis fungi muneribus cum prudentiae laude non possint.

XVI. Utinam vero, Auditores, integrum mihi per tempus esset vobis ante oculos ponere, quam vim Ecclesiastica historia habeat ad vitae emendationem, & morum, ad excitandam, inflammandamque pietatem, partem illam videlicet Christiani hominis tam necessariam, ut ea vel maxime re ex su-

(*a*) Muretus Orat. 12. in Taciti ann. tom. 2.
(*b*) Ex Mur. ibid.

ſuperiore Pauli ſententia religionis noſtrae artus ſolidi, preſſique conſiſtant (§. IX.)! Sive enim in Romanos Pontifices, qui totis quinque prioribus ſaeculis maxima ſanctitatis gloria floruerunt, oculos convertatis, ſive animos ad res arduas, atque difficiles, a nobiliſſimis geſtas Epiſcopis attendatis, ſive recordemini ſeveriſſimum vitae genus ab innocentiſſimis Monachis in ſumma rerum omnium inopia ſuſceptum, ſive religioſiſſimas virgines, viduaſque ſpectetis, ſive in memoriam fortiſſimorum Martyrum redeatis, ſive tandem Apoſtolos, principeſque Apoſtolorum diſcipulos memineritis, undique in ſenſus ipſos incurrunt hinc fidei, religionis, ſpei, charitatis, illinc conſtantiae, juſtitiae, aequitatis, prudentiae, nunc virginitatis, pudicitiae, caſtimoniae, temperantiae, mox deſpicientiae ſui, divitiarum, honorum, tum fortitudinis, patientiae, liberalitatis, conſilii, maximarum denique, plurimarumque virtutum exempla, quae mentis aciem inuſitato quodam ſplendore lucis perſtrinxerint. Tot illa quippe, ac talia ſunt, ut nullo prorſus in genere exempla aut plura, aut illuſtriora, aut quae vincant expectationem omnium, neque ex veterum Romanorum annalibus, neque ex mendaci Graecorum hiſtoria duci poſſint: praeſertim cum de Graecis Platonici quidem, auctore Auguſtino (*a*), quo eſſet eundum, cognoſcerent, ſed qua eundum eſſet, nulli Graecorum, Latinorumque intellexerint, Chriſtum videlicet, qui *via*, *veritas*, *&* *vita* eſt, miſerabiliter neſcientes.

XVII. Verum ego, Auditores, praeſentio, patientiſſimis veſtris auribus, quam diutius abuti non debeam. Itaque ſuperioribus rebus praetermiſſis ſilentio, illud attingam dumtaxat quam breviſſime potero, acta Martyrum, quibus bona Eccleſiaſticae hiſtoriae pars continetur, vehementer adeo, unaque ſuaviter in animos hominum influere, ut vix ulla res ſit, quae eoſdem potentius ad ſtudia pietatis non alliciat ſolum, ſed concitet, atque permoveat. Ut enim teſtimonio utar Eucherii Lugdunenſis, *armantur filiorum animi*, *dum Patrum recenſentur triumphi*. *Ex his quippe intelligimus*, *quantum debeat deſiderari vita illa aeterna*, *quam per Cruciatus*, *per vulnera*,

(*a*) Lib. 10. de Civit. Dei cap. 29. & alibi.

per intolerandos labores videmus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari (*a*). Hinc Christianis quibusque antiquissimis id fixum, atque statutum, ut summa, qua possent diligentia, saepe etiam cum vitae periculo Martyrum acta colligerent. Hinc Nemesianus, Dativus, Felix, Victor, caterique Martyres Africani ad metalla damnati, vix primae Cypriani Episcopi confessionis acta acceperunt, gloriati e vestigio sunt, quibusdam veluti armis coelestibus munitos se esse, quibus crudelitatem Praesidis, atque omnes corporis cruciatus contemnerent (*b*). Hinc acta Sanctissimorum Martyrum non palam solum in publicis Ecclesiae conventibus legebantur, sed etiam fideles Christi, ut ex Ruínartio discimus (*c*), ea domi asservabant, atque evolvebant, secumque interdum, si iter facerent, religiosissime deportabant. Quid plura? Scaliger ipse, ejus ingenii vir, ut nunquam in suspicionem venerit nimiae pietatis, cum acta de Polycarpi Martyrio legeret, ita se commoveri dicebat, ut sibi non amplius idem, qui antea, Scaliger videretur (*d*).

XVIII. En igitur, Adolescentes Sardi, quorum potissimum caussa in hunc auctoritatis locum conscendi, en quantam, & quam singularem habere vos gratiam sapientissimo Regi conveniat, qui hominem in hoc nobilissimo disciplinarum omnium Gymnasio jussit esse, qui viam vobis, & aditum ad Ecclesiasticae historiae studia aperiret. Vestri muneris est eniti viribus omnibus, atque contendere, ut beneficio amplissimo respondere aliqua ex parte videamini. Ipsa vos Majorum vestrorum exempla cohortantur, & incitant, Sardi viri, ejus etiam doctrinae laúde ornatissimi, gloriae stimulos animis vestris subjiciunt. Ut Luciferos taceam, Eusebios, Hilaros, Symmachos, habetis tanquam exemplar ad imitandum propositum, Episcopum Caralitanorum, Deusdedit, qui, Martino I. Pontifice, Romanorum Patrum Concilio adversus Monothelitas coacto, una cum Valentino, Turritano Antistite, interfuit, habebaturque omnium consensu doctissimus (*e*). Habetis recen-

(*a*) Homil. de SS. Petro, & Paulo.
(*b*) Vid. Epist. 78. 79. 80. apud S. Cyprian. edition. Maurin.
(*c*) Praefat. Gener. in acta Martyr. num. 6.
(*d*) In Animadv. Eusebianis. (*e*) Ex Act. ejusd. Concil.

recentiore memoria Alexium Salepusium, qui annos quinque, & eo amplius in Tridentinis versatus comitiis, magnam & eloquentiae, ingenii, eruditionis gloriam consecutus. Habetis, qui omnium linguis, & litteris celebratur, Ambrosium Machinum, qui quantum in vetere Ecclesiae historia profecisset, opusculis, & libris editis perspicue, atque apertissime, pro illis praesertim temporibus, patefecit. Habetis denique, ut orationi finem imponam, Paulum Nurram, Collegii hujusce Caralitani Canonicum, de quo illud ad eruditionis praeconium dici sat est, testatos Trevoltienses scriptores esse (*a*), unum ipsum videri idoneum potuisse, qui praeclarum, & magnum opus, cujus spem certam Magliabechio (*b*) ostenderat, de civili, & sacra Sardiniae historia absolveret, atque in doctorum hominum manus emitteret. Ad me quod attinet, sine pompa verborum ita vobis polliceor, etsi doctrina, & ingenio parum valeo, numquam tamen me commissurum, ut rationes, atque otium meum vestris commodis, atque utilitatibus anteponam.

(*a*) Ad an. 1710. mense Febr.
(*b*) V. acta Lipf. ad an. 1709. mense Aprill.

F I N I S.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
IX.	15.	cum	cura
X.	20.	patrocinio	patrocinium
14.	20.	ſecum	tecum
16	23.	ubi	uti
18.	3.	obrogatam	abrogatam
23.	33.	oſſendamus	offendamus
26.	6. not. 2.	Theologi	Theologis
26.	7. not. 3.	ſed ii non dogmaticus	ſed is non dogmaticus
27.	19.	in	iri
31.	14.	patit	parit
39.	15.	Niſi	Niti
39.	29.	interpretes	interpretes :
41.	34.	eſt	&
43	ult.	ante	anne
45.	17. not.	cogitare	cogitate
54.	29	impendendioſque	impediendoſque
59.	26.	illi	illa
68.	29.	(§. XLVII.—LV.)	(§. XLVII.—LIII.)
134.	32.	decori	decoris
161.	9.	aperrimis	aſperrimis
164.	6. not.	oratio	ratio
167.	25. not.	obnoxia	obnoxios
169.	1. not.	aemulari	aemulati
181.	2.	&	eſt